

I. N. D. N. J. C.

De

# ORIGINE

DIVERSORUM

# JURIS NATURALIS

# PRINCIPIORUM,

QUATENUS NEC UNICA, NEC

ADÆQUATE VERA SUNT,

*SUPERIORUM CONSENSU*

in

ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

# M. IMMANUELE PROELEO,

D. XVII. Martii MDCCIII.

differtabit

ADAM LUDOVICUS LOEFLER, Lipsf.

Phil. Baccal. & Jur. Stud.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI GOEZL.

ll.

a. XCI. 22.

Coll. diss. A  
91, 22







*Illustri atque Excellentissimo*

DOMINO,

DN. CORNELIO

de LUCKOWIN,

Serenissimi & Potentissimi Polonia-  
narum Regis, atque Saxoniae Electoris, Came-  
rae Martisburgensis Consiliario, in inferiori Lu-  
sacia Capitaneo Provinciali, & per Saxoni-  
am Redituum Provincialium Di-  
rectori,

DOMINO IN DÖBERNIZ

ET GÖRLSDORF &c.

MÆCENATI ET PATRONO

SUO MAXIMO,

Pro tot illustribus de se meritis, & gratia, quam  
sibi studiisque suis, LUCKOWINIANO auspicio  
cœptis, perennantem exorat,

*Exercitationem hanc Academicam*

*cum perpetua felicitatis appreciatione,*

devoto animi cultu

consecrat & offert

Adam Ludwig Lœfler.



## SUMMARIA DISSERTATIONIS.

- §. I. Cur de novo, unico, vero, & adæquato J. N. principio, disceptetur.
- §. II. Consult. Dn. Cocceji sententia.
- §. III. Dissertationis hujus institutum.
- §. IV. Usus & defectus principiorum, apud Juris Naturalis doctores.
- §. V. Principia practica, attemperanda sunt, ad captum subjectorum.
- §. VI. Hinc nihil proficiunt demonstrationes, quæ à captu & ingenio eorum, quibuscum negotium est, remotæ sunt.
- §. VII. Dissertationis totius summa.
- SECTIO I.
- De Origine & causis variorum Juris Naturalis principiorum apud Doctores, Hobbesium, Pufendorsum, Cumberlandum, Dn. Coccejum.*
- §. VIII. Datur Deus.
- §. IX. Actiones humanæ ab ipso dependent.
- §. X. Quicquid Deo non displicet, jus est.
- §. XI. Sine Deo nullum est jus.
- §. XII. Voluntas Dei est principium Juris Natur. essendi sive constituens.
- §. XIII. Quid sit principium cognoscendi in Jure Naturali.
- §. XIV. Quid eligendum sit pro principio cognoscendi Juris Naturalis.
- §. XV. Variæ sententiæ de principio cognoscendi Juris Naturalis, Hobbesii, Pufendorfi, Cumberlandi, Dn. Cocceji.
- §. XVI. Inveniendi principio Jur. Nat. norma & origo.
- §. XVII. Principii Hobbesiani origo.
- §. XVIII. Principii Hobbesiani de statu belli, occasio & primæ origines.
- §. XIX. De cessione Jur. Hobbesiani orig.
- §. XX. Causa & usus hujus principii.
- §. XXI. Judicium de universalitate principii Hobbesiani.
- §. XXII. Principii Pufendorfiani de socialitate origo.
- §. XXIII. Cur passim placuerit hoc principium.
- §. XXIV. Usus hujus principii.
- §. XXV. An unicum, verum, & adæquatum sit J. N. principium.
- §. XXVI. Pufendorfus socialitatem pro principio, unico, omnium actionum habere nequit.
- §. XXVII. Ratio hujus prima.
- §. XXVIII. Ratio secunda hujus.
- §. XXIX. Principium socialitatis, tantum ad actiones civiles adversus alios pertinet.
- §. XXX. *Cumberlandi* principium de mutua benevolentia.
- §. XXXI. Origo hujus principii de mutua benevolentia.
- §. XXXII. Adhuc de origine principii *Cumberlandi*.
- §. XXXIII. De differentia principii, *Cumberlandi*, à Pufendorfi socialitate.
- §. XXXIV. Principia Pufendorfi *Cumberlandi*, Hobbesii, Grotii, & Dn. Cocceji sibi non repugnant.
- §. XXXV. Origo Principii Dn. Cocceji de sola voluntate Dei.
- §. XXXVI. Adhuc de origine principii Coccejani.
- §. XXXVII. Difficultas circa hoc principium.
- SECTIO II.
- In quonam & quatenus, unum superiorum principiorum alteri præstet, deque horum usu & defectu in specie.*
- §. XXXVIII. Adducta principia sunt diversa, sed sibi non contraria.
- §. XXXIX. Tria proponuntur deinceps probanda.
- §. XL. (1) Probatur, quod diversa Jur. Nat. principia sibi subordinentur.
- §. XLI. Male sibi invicem opponuntur.
- §. XLII. (2) Probatur quod unum principium.

L. COCCII



## SUMMARIA DISSERTATIONIS.

- cipium altius ascendat præ altero. §. XLIII. Principium in theoria universalissimum, non statim in praxi est præstantissimum.
- §. XLIV. Ad diversum hominum Statum, diversa accommodanda sunt principia.
- §. XLV. (3) Præstantia principii *Hobbesiani* de mutuo metu.
- §. XLVI. Exercetur ab Imperantibus & Magistratu.
- §. XLVII. Defectus principii *Hobbesii*.
- §. XLVIII. Præstantia principii *Pufendorfiani* de socialitate.
- §. XLIX. Defectus hujus principii.
- §. L. Recte appellari potest ultimum in suo genere.
- §. LI. Principium de socialitatis utilitate, non tollit discrimen inter Jus Naturæ & J. Gentium secundarium.
- §. LII. Fundamentum & discrimen J. Natural. & Juris Gentium positivi, ex utilitate ostenditur.
- §. LIII. Juris Naturalis, & Juris Gentium secundarii, definitiones philosophicæ.
- §. LIV. Jus Naturale mutari non potest, neque ab ipso Deo.
- §. LV. Jus gentium positivum secundarium mutari potest.
- §. LVI. Carneadis sententia de utilitate, certo sensu verissima est.
- §. LVII. Omnia Juris Naturalis principia utilitatem agnoscunt.
- §. LVIII. Præstantia principii *Cumberlandi* de mutua benevolentia.
- §. LIX. Defectus hujus principii.
- §. LX. Præstantia principii *Dn. Cocceji*.
- §. LXI. Defectus hujus principii ostenditur per rationes.
- §. LXII. Duo inter alia obstant, principii cognoscendi voluntatem *DEI Dn. Cocceji*.
- §. LXIII. Multa crimina secundum hæc principia J. N. sunt permiffa.
- §. LXIV. Proponuntur principia *Dn. Cocceji*.
- §. LXIV. Notantur nonnulla.
- §. LXVI. Secundum principia §. 64. Sodomia Jure Naturali est licita.
- §. LXVII. Idem de incestu, adulterio & cæteris dici possit.
- §. LXIX. Secundum hæc principia, nulla relinquitur differentia, inter Theologiam Moralem & Jus Naturæ.
- §. LXIX. De Differentia Theologiæ Moralis, & Jur. Naturalis disquiritur.
- §. LXX. Rationes, cur discrimen inter revelationem & rationem, sive Theologiam moralem & Jus Naturale, admittendum sit.

### SECTIO III.

*Quod accuratè loquendo, nullum ex superioribus, unicum & adequatum Juris Naturalis principium dici possit.*

- §. LXXI. An principia superiora Jur. Nat. sint unica & adæquate vera.
- §. LXXII. Rationes, cur *Hobbesii* principium de statu belli &c. non sit unicum, nec adæquate verum.
- §. LXXIII. Laus & valor hujus principii.
- §. LXXIV. Rationes, cur principium de socialitate non sit unicum, nec adæquate verum.
- §. LXXV. Laus & valor hujus principii.
- §. LXXVI. Rationes, cur mutua benevolentia non sit J. N. principium unicum, nec adæquate verum.
- §. LXXVII. Laus & valor hujus principii.
- §. LXXVIII. Rationes, cur sola Dei voluntas non sit J. N. principium unicum, nec adæquate verum.
- §. LXXIX. Laus & valor hujus principii.
- §. LXXX. An melius & perfectius, idque unicum, verum & adæquatum J. N. principium inveniri possit, disquiritur.



De  
 ORIGINE DIVERSORUM JURIS NATURALIS  
 PRINCIPIORUM, QUATENUS NEC  
 UNICA, NEC ADÆQUATE VE-  
 RA SUNT.

## §. I.

Cur de novo,  
 unico, vero, &  
 adæquato, Ju-  
 ris Naturalis  
 principio, dis-  
 ceptetur.



Um varia diversaque, ab eruditis traderentur Ju-  
 ris Naturalis principia, quibus nobilem hanc  
 disciplinam, tanquam primis fundamentis super-  
 struerent, & quæ Vir Consultissimus nobisque  
 peramicus Dn. D. Joh. Frid. Ludovici, in Aca-  
 demia Hallensi celebr. Jurium Professor, in sua  
*delineatione Historiæ Juris divini naturalis & positivi universalis,*  
 per compendium recenset, Amplissimus Consultissimusque Dn.  
 Samuel Coccejus, illustris, in varia eruditione & Juris disci-  
 plina, summatis Viri, Henrici Filius, in Academia ad Viadrum,  
 Juris Professor Clarissimus, non sibi satisfaciens in pervulgatis  
 doctorum hominum sententiis, ductu illustris Parentis, de no-  
 vo, eoque unico, vero, & adæquato, Juris Naturalis principio,  
 cœpit disquirere. Cujus instituti sui ratio, cum *ex dissertatione*  
*Inaugurali, de principio Juris Naturalis unico, vero, & adæquato,*  
 Francofurti, 1699. habita; tum ex *Traëctatu, Juris Gentium,* qui  
 eundem præfert, quam dissertatio, titulum, atque circa finem  
 anni superioris, in duas divisa partes auctior prodiit, & præterla-  
 psis proxime nundinis hibernis, ad nos perlatus est, explicata  
 comparet.

Consult. Dn.  
 Cocceji sen-  
 tentia.

§. II. Instituit nimirum, in *laudata dissertatione, atque tra-*  
*ëctatu Juris Gentium,* diligenter & erudite confirmare, claros in  
 juris naturalis disciplina doctores, inter hos *Grotium, & Pufendor-*  
*sium,* nullum tradidisse doctrinæ suæ principium, quod unicum,  
 verum & adæquatum dici mereatur, *Grotium* enim in eo aberrasse,  
 quod principii loco constituerit, convenientiam aut disconveni-  
 entiam necessariam cum natura sociali, etsi ponatur, Deum non  
 existere; *Pufendorsum* autem in eo jure reprehendendum, censeri,  
 quod



quod omnia jura, ex custodia socialitatis deduci posse falso, fuerit opinatus. Quapropter, ut horum defectus ostenderetur, & melius perfectiusque juris naturalis principium, atque illud quidem unicum, verum, & adæquatum, haberi possit, propugnat Vir Consultissimus, *solam Dei voluntatem*, in normam principii unici, veri, & adæquati, ex quo omnes Juris naturalis doctrinæ recte deducantur, disciplinæ huic substernendam esse. Hinc Tractatus adducti parte altera, variæ diluuntur objectiones, quæ sententiæ in parte priori præpositæ, obesse aut repugnare videri possent.

§. III. Lubet in præsentî, optima Viri Consultissimi pace Dissertationis circumspicere, an & quatenus *DEI voluntas sola*, principii nomen hujus institutum. in Jure naturali subire possit, ex quo tanquam fundamento unico, vero, & adæquato, omnia Juris naturalis dogmata deducantur, atque sic quidem, ut cuique facile patere possit, quid juri naturali conveniens sit, quidve eidem repugnet. Atque simul inquirendum nobis sumemus, an & quousque *Hobbessii Status belli, Pufendorffii Custodia socialitatis, Cumberlandi mutua benevolentia*, pro principiiis unicis & adæquate veris, ad deducenda Juris Naturalis dogmata, admitti possint.

§. IV. Putamus autem, Viri Consultissimi principium Juris Naturalis, de sola DEI voluntate, nimis generale & remotum, & proinde ad efficiendam demonstrationem, quæ ab aliquo luculenter & perspicue percipi possit, haud sufficere, ac proinde nec unicum, nec adæquate verum principium, existere. Nec multo aliter de Hobbessii statu belli, Pufendorffii socialitate, & Cumberlandi mutua benevolentia, (ut plures alias hypotheses omittamus) dicendum esse arbitramur. Namque etiam horum principia, nec unica, nec adæquate vera esse, in sequentibus evidenter, uti confidimus adparebit. Neque tamen ideo principia, de sola DEI voluntate, de mutua benevolentia, de socialitate, aut statu belli, tamquam plane inutilia rejicienda esse dicimus. Habent enim omnia hæc præclarum suum usum, sed particularem, & apud eos tantum, qui secundum naturæ suæ statum, ad hæc principia percipienda sunt capaces, ut apud animum suum, de conclusionibus, quæ ex posito & concessio principio quodam deducuntur, liquido & evidenter convinci possint, atque ut certo sentiant, & veluti in animo suo Ufus & defectus principiorum, apud Juris Nat. doctores.  
expe-



experiantur, veritatem sententiæ, ex principio ipsis cognito, pro-  
manare. Jam quemadmodum valde errat, qui ab aliquo, nudo  
oculo cœlum contemplantē, ac proinde stellam remotissimam  
non conspiciente, exigit, ut tam certo stellam fixam se videre in  
cœlo adfirmet, ac alter, qui tubo aut oculo armato eam, adesse cla-  
rissime conspicit: sic in juris naturalis scientia, pariter labi vide-  
tur, qui principium sibi quidem clarissime & evidenter cognitum,  
alteri, qui per naturæ suæ statum atque imbecillitatem, ad parem  
perspicaciam adsurgere nequit, idem tam clare putat cognitum  
esse, ut per illud, de actionum honestate aut turpitudine, se con-  
victum in animo sentiat, atque actiones suas secundum illud prin-  
cipium, abs se non æque clare, quam ab altero cognitum, institu-  
endas esse agnoscat.

Principia pra-  
ctica, attempe-  
randa sunt,  
ad captum sub-  
jectorum.

§. V. Neque prodest exceptio: Quod percipiendi imbe-  
cillitas, demonstrationes deductas ex principio, quod alicui evi-  
dens est, non posita sit in ipso Juris Naturalis principio, verum  
in persona tantum, demonstrationem non capiente. Nam cu-  
jus status ita comparatus est, ut ejus cognitionem plane superent  
demonstrationes, licet ab aliis forte satis liquido percipi possint,  
is neque secundum istas demonstrationes, quas plane adsequi ne-  
quit, actiones *quas se auctore suscipit*, instituere aut moderari ob-  
ligatur, nisi velit præcipitantiæ aut imprudentiæ notam incurere.  
Sequi enim debent actiones hominis, rectum intellectus judicium,  
non præcedere. Jam qui in statu versatur, ubi ratiocinando ad-  
sequi nequit, sententiæ alicujus propositæ certam veritatem, quo-  
modo ab ipso exigi potest, ut actiones instituat, secundum nor-  
mam quam non cognoscit, nec eo in statu, in quo jam versatur,  
cognoscere potest? Et quis a rudiori mechanico exigit? ut secun-  
dum Euclidis aut Archimedis accuratissimas demonstrationes,  
commensurationes aut opus suum formet? licet eruditus Mathe-  
maticus facile perspiciat, melius & perfectius proditurum opus  
mechanici, si præcepta Geometrica, ad amussim fuissent observata.  
Mechanicus interim non peccabit, sed summo jure excusabitur,  
quod secundum intellectus sui mechanici modum, opus elaborarit,  
non vero ad normam & perfectissimam rectitudinem mathemati-  
cam. Et injustum foret, condemnare hoc argumento artificem aut,  
mecha-



mechanicum, qui tam perfecte opus ad ἀκριβείαν non elaborasset, quod percipiendi difficultas, proportionem commensurata rei, aut operis mechanici, non sit in scientia mathematica, sed in ipso mechanico, aut artifice. Respondebit enim, se quatenus mechanicum profitetur, minime subtilitates mathematicas capere, adeoque nec ad observandas regulas istas accuratissimas, quas non poterat non nescire, (esset enim tum non mechanicus, sed mathematicus) ullo modo teneri, licet mathematicus, eas facile habeat perspectas. Nec obtusioris ingenii homo, ad tenendas subtilissimi Philosophi ratiocinationes, quas non capit; neque plebejus, ad observandos mores elegantissimos principis, quos neque didicit, obstringi potest.

§. VI. Hoc quidem facile concedi potest, disciplinæ alicujus, atque etiam Juris Naturalis demonstrationes in se & abstractivæ, esse posse alicui claras, quæ tamen in applicatione singularem, huic vel illi subjecto, sint oppido vel difficiles, vel obscuræ, vel etiam plane cognita impossibiles. Sed hoc concedi nobis iterum debet, istam disciplinam, in se & abstractivæ forte clarissimam, istis, qui propter hebetudinem, aut alia de causa, ejus demonstrationes capere nequeunt, non esse proponendam, adeoque pro ipsorum statu & conditione, ad ipsos instituendos, & ut sic, & non aliter vitam instituere cogantur, esse inutilem, aliaque quærenda esse demonstrandi principia, quæ ad ipsorum genium accommodata, illos de veritate ex fundamentis sibi notis, adeoque concessis, convincant. Ut vero hæc inveniantur, ad subjecta, quibuscum res est, oculi flectendi sunt. Quoniam autem subjecta, diversæ sunt indolis, ingenii & status, hinc alia atque alia principia, ex ipsorum indole, ingenio, & statu deprompta, erunt adplicanda, quibus liquido, ad exercenda sibi officia, aut jus naturale, in specie quisque pro se, per cognitæ rationes compellatur. Veritas satis luculenta nobis est, Deum gubernare omnia libere, adeoque fato non esse obnoxium. Aliis tamen argumentis, secundum diversa principia & opiniones eorum, qui fatum statuunt, agendum est contra *Spinosam*, aliis contra *Stoicum*, aliis contra *Christianum*, si quis eandem foveat sententiam. Quod enim argumentum, huic solidum & convincens, alteri infirmum ac inane videbitur, ob

Hinc nihil proficiunt demonstrationes, quæ à captu & ingenio eorum, quibuscum negativum est, remotæ sunt.

B diver-



Dissertationis  
totius summa

diversum ipsorum statum, persuasionem, intellectum, aut præjudicia. De quo postea explicatius nobis agendum erit.

§. VII. Quod ut perspicue adpareat, a prima origine, quantum in præsentem licet, deducemus breviter causas & fundamenta, quæ Auctores Juris Naturalis impulerunt, ut alius *statum belli*, alius *socialitatem*, alius *mutuam benevolentiam*, alius *solam DEI voluntatem*, pro primo principio agnoverit. Ex quo mox intelligetur, quodnam principium præ altero præstet, & quatenus, & apud quos, vim & usum aliquem in vita, (qui præcipuus studiorum moralium fructus est) habeat, & an unum, exclusis cæteris principiis, summam obtinere in vita humana in universum possit. Ubi deinceps facile per se quisque deprehendet, nullum ex adductis Juris Naturalis principiis, nomen unici, & adæquati, exclusis cæteris omnibus, apud omnes tueri posse. Si vocem principii *unici & adæquati*, in sensu famosiori & stricte accipias, id est, pro tali, quod omnia alia removet, solum sibi sufficit, & ad omnes edocendos porrigitur. De tribus igitur breviter videbimus 1) de Origine, variorum principiorum in Jure naturali, eorumque causis. 2) In quonam & quatenus, aliud pro alio, principium præstet. 3) Quod nullum horum, plane unicum, & adæquatum dici possit, sed pro ratione personarum & circumstantiarum, mox hoc, mox aliud, interdum plura uno principia, ad convincendum & instruendum aliquem, adhiberi debeant.

## SECTIO I.

DE ORIGINE ET CAUSIS, VARIORUM JURIS  
NATURALIS PRINCIPIORUM, APUD DO-  
CTORES, HOBBIUM, PUFENDORFI-  
UM, CUMBERLANDUM, DN.  
COCCEJUM.

Datur DEUS. §. IIX. Homines, cum animadverterent, inesse sibi mentem, variasque perfectiones, concluderunt, existere aliquod ens potentius, quod ipsos produxisset, ipsisque motum & conatum agendi daret.

Actiones hu- §. IX. Animadverterunt insimul, se ab isthoc ente depen-  
manæ ab ipso dere. Nec menti suæ, ea licere, aut agere, quæ enti summo, quod  
dependent. ipsos produxerat, displiceret. §. X.



§. X. Quæ vero supremum hoc ens, quod Numen adpella-  
mus, ipsis concessit vel jusfit, ut mentis suæ facultatibus, in cor-  
pus aut alias res agere possent, hoc jura adpellarunt. Id est, mo-  
dum dirigendi mentis suæ facultates aut potentias, ad nutum &  
voluntatem Numinis, scientes se id ipsum agendo, fungi officio  
suo, adeoque DEUM non offendere.

Quicquid DE-  
us vult, jus est,

§. XI. Juris igitur, & officiorum omnium fons & rectitu-  
do, dependet a voluntate supremi entis, sive DEI per §. 9. & 10.

Sine Deo nul-  
lum est jus.

§. XII. Quapropter, scholastico vocabulo, adpellari potest  
voluntas Dei, circa actiones humanas, principium juris naturalis  
*essendi*. Quia jus naturale constitutionem, & esse suum, a DEI  
voluntate accipit. Atque in eo, omnes sine præjudiciis ratioci-  
nantes, facile consentient, quod nullum foret jus, si nullum esset  
ens superius. Quod enim aliqui, voluntati Numinis, aliquid pri-  
us concipere voluerunt, hoc otiosam, in utiliter speculantium  
subtilitatem arguit, unde ad inania, & nihil certi significantia pro-  
fecerunt. Igitur Deum esse juris naturalis *principium essendi*, nec  
*Grotius*, nec *Hobbesius*, nec *Pufendorfius*, nec *Cumberland*, imo  
nemo, nisi recta & a præjudiciis libera, ratiocinandi facultate ca-  
rens, negare potest.

Voluntas Dei  
est principium  
Juris naturalis  
essendi sive  
constituens.

§. XIII. Sed juris Naturalis Doctoribus, non sufficiebat nos-  
se, Deum esse juris auctorem, & judicem de actionibus, id est prin-  
cipium *essendi*. Verum quæsierunt porro, unde nobis liquido  
innotescat, Deum hoc vel illud, circa actiones nostras exercendas  
v. g. conjugium, vitam nostram conservandam &c. sancire & vel-  
le. Et postquam regulas, aut normam aliquam se invenisse puta-  
runt, unde de voluntate Dei, hominibus constare posset, hanc re-  
gulam aut normam, adpellarunt vulgo, juris naturalis principium  
*cognoscendi*, intellige principium cognoscendi voluntatem Dei,  
circa actiones nostras, quas in vita exercemus.

Quid sit prin-  
cipium cogno-  
scendi in jure  
Naturali.

§. XIV. Quando igitur quærimus, quodnam sit unicum,  
verum, & adæquatum, juris naturalis principium, non quæritur,  
de juris naturalis *principio essendi* aut constituendi, de hoc enim ne-  
mini, nisi Atheo, & ratione destituto, dubium est: quod hoc  
Deus sit per §. 11. 12. Sed quæritur de *principio cognoscendi*, cujus  
ope certo scire possim, hanc actionem, quam exerco, Deo place-  
cere vel displicere.

Quid eligen-  
dum sit pro  
principio cog-  
noscendi Juris  
Nat.



Varie sententia de principio cognoscendi Juris N. Hobbesii, Pufendorffii Cumberlandi, Dn. Cocceji

§. XV. Circa hoc principium Juris Naturalis *cognoscendi*, diversae prodierunt sententiae. Nos eas ita locandas putamus 1) est *Hobbesii*, qui statum belli omnium adversus omnes, & inde deductam juris sui, aut cupiditatis in omnia, cessionem, principii loco ponit. 2) *Pufendorffii*, qui socialitatis custodiam. 3) *Cumberlandi*, qui mutuam benevolentiam. 4) *Dn. Cocceji*, qui solam divinam voluntatem, nobis commendat. His quatuor sententiis excutiendis, in praesenti contenti erimus. Nimis enim prolixum foret, origines reliquarum percensere, & qui ingenio valet, de caeteris facile statuet.

Inveniendi principii Juris N. norma & origo

§. XVI. Quæritur ergo, quid causae fuerit, & quomodo in has cogitationes, tam a se, prima fronte discrepantes, inciderint Viri doctissimi? Respondetur, in universum aliter agere non potuerunt, ad inveniendum cognoscendi principium, ex quo intelligatur, quid homini agere licat, nec ne, quam ut naturam hominis penitus introspicerent. Hanc consulentes, conjecerunt, quid DEUS ab ipsa humana natura exigere, eidemque vetare voluerit. Quo penitus igitur propiusque, Doctor aliquis naturam humanam, & divinum regimen in hominem perspexit, tanto nobiliter, profundius, & accuratius, juris naturalis *principium* nobis dedit, intellige semper principium *cognoscendi*.

Principii Hobbesiani origo

§. XVII. De Hobbesio, quomodo ad principium suum, de statu belli, fuerit deductus, res manifesta est ex ipsius verbis. In *praefatione enim, elementorum philosophicorum de Cive, ad Lectorem, & in Dedicacione ad Devoniam Comitum* ait, se inter tenebras constitutum; tandem duo certissima nactum fuisse principia, ex consideratione humanae naturae, nimirum *unum cupiditatis*, qua homo fertur ad omnia, unde status belli oritur, *alterum rationis*, cedendum esse juri, suo, ut pax obtineatur & conservatio sui. Sed explicatius de singulis videamus.

Principii Hobbesiani de statu belli, occasio & primae origines.

§. XIX. *Hobbesius* vir erat, ingenio, imaginatione, & iudicio civili pollens, contemptor vulgarium, novorum consector. Erat disciplinis mathematicis adsuetus. Videbat sub Rege Carolo, flagrare belli incendiis patriam suam Angliam. Quod igitur in mathematicis vidit, ut omnia ex certis & claris principiis demonstrarentur, idem facere peroptavit, in disciplina morali. Ut nimirum certa ipsi adessent fundamenta, quibus hominibus tumultuantibus



tibus ostenderet ipsos peccare, nisi pacem, atque obedientiam colerent. Inquit enim in dicta dedicatione: Cognita pari certitudine ratione actionum humanarum, qua cognoscitur ratio magnitudinis in figuris, ambitio & avaritia, quarum potentia falsis vulgi circa jus & injuriam opinionibus innititur, inermes essent, fruereturque gens humana pace adeo constante, ut non videatur, (nisi de loco crescente scilicet hominum multitudine) unquam pugnandum esse. Nunc quod bellum gladiis vel calamis perpetuum est: quod non sit juris & legum naturalium major scientia hodie quam olim: quod sententiis Philosophorum, utraque pars suum jus tueatur; quod alii laudent, alii vituperent eandem actionem: quod idem nunc probet, quæ alio tempore damnat, & sua facta in aliis aliter aestimet: signa manifesta sunt, nihil profuisse ad scientiam veritatis, quæ hætenus scripta sunt a Philosophis moralibus, placuisse vero, non illuminando animum, sed venusta & secunda affectibus oratione, opiniones temere receptas confirmando. Ut igitur certiora demonstraret, omni ex parte diligenter dispexit. Sed destituebant ipsum, demonstrationis meditatae, evidens principium. Ut illud inveniret, consuluit statum hominis internum, id est animum, & externum i. e. corpus, & ad corpus pertinentia. Igitur in internis, animadvertit, animi cupiditatem ad infinita propendere; & in externis, vidit tumultus in patriæ suæ regno inde augeri, quod quæ unus cuperet, alter etiam cuperet, neque illud proinde, alterum alteri concedere velle. Hinc deduxit axioma morale: Ex cupiditate hominis, sine ratione spectata, oritur status belli omnium in omnes. Et sic invenit causam belli & tumultuum.

§. XIX. Volebat autem Hobbesius, tumultus & seditiones, De cessione Jurationibus reprimere, & argumentis seditiosorum absurditatem <sup>ris Hobbesiani origo.</sup> redarguere. Hinc ulterius pergendum ipsi erat, ad secundum principium. Vid. præf. ad Lect. de Cive. Viderat igitur, compescendam esse illam cupiditatem, qua in omnes res habendas ferimur, & quod per rationis judicium hoc faciendum sit, hinc axioma ipsi secundum emergebat: Rationem suadere, ut renunciatur cupiditati, sive juri in omnia, quo pax obtineri possit, quæ tamen, si cupiditate nostra secundum rationem moderata, ab altero obtineri non posset, quærenda esse belli auxilia. De Cive capit. I. §. 15. & Cap. II. §. 2.



Causa & usus  
hujus principii

§. XX. Habebat igitur *Hobbesius* duo fundamenta, quibus, motibus Anglicanis, hominibusque seditiosis occurrere poterat. Atque argumentum hoc, adversus istos adversarios, satis erat validum, & pro adæquato, hoc in casu, ad versus omnes, qui sine ratione, cupiditatibus obsequuntur, agnosci potest. De quo *seção II.* uberius, ubi de usu ejus agetur. Vid. §. 45. 46.

Judicium de  
universalitate  
principii Hob-  
besiani.

§. XXI. Quæritur autem, an *Hobbesius* invenerit, aut invenire voluerit, principium Juris naturalis, ad decidendas omnes omnino Juris Naturalis, actionumque humanarum controversias. Respondetur, nimis magnifice de instituto *Hobbesii* sentiret, qui illud sibi persuaserit. Nunquam enim, uti existimo, illud *Hobbesio* in mentem venit. Quod ex occasione & intentione ejus, patere potest. Occasio horum suorum axiomatum, erant motus Anglicani: Intentio erat sua, tumultuantes redarguere, & convincere absurditatis practicæ, quod peccatum dicitur, quemadmodum male disputantes, contradictionis, quoad sententias male cohærentes, redarguere solemus. Vid. de Civ. Præf. ad Lect. Quomodo ergo *Hobbesius*, principium unicum, verum, & adæquatum, juris naturalis dare potuit, ex quo omnia deciderentur, qui de eo nunquam cogitare instituit? Quod si autem illud principium, majoris forte postea fecit, quam quidem antea putavit, vel faciendum erat, illud adversariorum imperitiæ, & tenuitati tribuendum est, qui interdum apertissima negabant, ejus demonstrationes non adsequebantur, neque nobilius quid producere potuerunt, hinc ipsi *Hobbesio* animum addiderunt, ut præclarius indices de se sentiret. Dedit tamen hoc ipsum occasionem, ut alii postea longius meditando progredierentur.

Principii Pu-  
fendorfiani de  
socialitate ori-  
go.

§. XXII. Inter hos princeps est, B. & perillustis *Samuel L. B. de Pufendorf*. Vid. præf. *Jurisprud. ejus Universalis, & Specimen Contr. c. 1. §. 6.* ubi se adjutum ab *Hobbesio*, haud invitus profiteatur. *Pufendorfius* igitur ingenio, judicio, & eruditione subnixus, consulens quoque experientiam vitæ, ac tranquilla mente societatem hominum, eorumque jura contemplans, deque horum fundamento sollicitus, excitatus demonstrandi methodo *Hobbesiana* mathematica, observat, naturam hominum, tenerrimo amore sui, rerumque, quas ad se pertinere credit, studio duci. Videt bella,



bella, inimicitias, & omne malorum genus inde oriri, si quis illud, quod alteri charum & eximium est, incessere conetur. E contrario experiendo deprehendit, homines vivere tranquillos in societate, quoties alter ad alterius mores & genium, se accommodet, & commoda ejusdem, aut quod quispiam amat, promovere studuerit. Hinc in eam deductus est sententiam, ut statueret, *socialitatem* i. e. uti ipse *de Officio H. & Civ. l. 1. c. 3. §. 7.* explicat, studium se cum aliis conjungendi, eorumdemque commoda promovendi conatum & rationem, esse principium Juris Naturalis fundamentale. *Add. Ejusdem cap. III. Lib. II. de Jure Naturæ & Gentium* in primis §. 15. & *Eridem Scandicam* p. 232. §. 1.

§. XXIII. Meruit hæc *Pufendorfi* in Juris naturalis disciplina, meditatio & industria, ut passim in eruditorum scholis, cum applausu reciperetur. In primis hodie libellus ejusdem, *de Officio Hominis & Civis*, qui magni operis ipsius *de J. N. & G.* compendium est, vulgo juventuti academicæ commendatur, & ad capiendâ Juris naturalis prima fundamenta prælegitur. Cujus rei ratio est, quod beati Viri scripta, in primis vero hæc, ad jus naturæ pertinentia, perspicuitate, & facili rerum intelligentia, sese præ *Grotio* aliisque commendent. Quid enim cognitu facilius, quid apertius in vitâ est, quam hominem qui alterius commodis & fortunæ semper obstat, in societate esse intolerabilem, contra qui socialitatis curam habet, ab omnibus amari & coli? Qui tradita hæc meditando capere nequit, (ad severam enim meditationem paucissimi apti sunt) nullô interprete opus habet, quam experientia, quæ tanquam ubivis obvia vitæ magistra, veritatem horum, ipsum facillime & compendiosissime edocebit.

§. XXIV. In primis autem hoc Juris naturalis principium, præclarissimum ostendit usum, in iis negotiis, ritè instituendis & decidendis, quæ cum hominibus, nobiscum in societate viventibus, intercedunt v. g. contractibus, promissis, humanitatis officiis &c. Facile enim posito hoc principio, potest ostendi, omnia hæc jura & officia, adversus alios, necessario esse exercenda, quoniam aliter nulla socialitas inter homines consistere potest. Sed de usu principiorum cujuslibet doctoris, explicatius videbimus *Sectione secunda.*

§. XXV.

Cur passim placuerit hoc principium.

Ufus hujus principii.



An unicum,  
verum, & adæ-  
quatum sit J.  
N. principium

§. XXV. Quod si autem per jus naturæ intelligatur, quemad-  
modum in famosiori significatione accipitur, potestas aut illud  
jus hominis, circa omnes facultatum suarum naturalium actiones,  
quas & quomodo, vel exercere vel intermittere tenetur (*vid. §. 10.  
supra*) tunc non immerito quæritur, an socialitas, sit principium u-  
nicum, & adæquatum *cognoscendi* (*v. §. 13. supra*) Juris Naturalis h. e.  
an ex socialitate (*v. §. 22.*) deduci & cognosci possit, omnis justiti-  
a aut injustitia actionum humanarum quarumvis, quæ tum ad-  
versus Deum, tum adversus semetipsum, tum adversus alios, exer-  
ceri ab homine debent, ita quidem, ut si homo actionem suam,  
non turbare cognoverit socialitatem, tuto concludere possit, istam  
actionem sibi esse permissam, atque sic quidem, ut in statu isto,  
dum actionem istam exercent, Deo non displiceat (*vid. §. 10.*)

Pufendorfius,  
socialitatem  
pro principio,  
unico, omni-  
um actionum  
habere nequit.

§. XXVI. Videri posset *B. Pufendorfius* noluisse, ut sociali-  
tas, pro tali principio universalis, unico, vero, & adæquato, ad de-  
terminandas actiones humanas omnes, adversus omnes, uti De-  
um, seipsum, bruta &c. agnosceretur. Sed appellasse tantum  
socialitatem, principium primum, & fundamentale, si vis etiam,  
verum, unicum, & adæquatum, quoad cognoscendas & deciden-  
das actiones & officia hominis, adversus alios homines, in socie-  
tate viventes exercendas.

Ratio hujus  
prima.

§. XXVII. Id quod probari potest) ex intentione ejus  
(*vid. §. 22.*) Constitutum enim ipsi erat, solum & præcipuæ, ratio-  
nem fundamentalem invenire, actionum tantum illarum, quæ ho-  
mo in societate adversus alium exercet, ut pax & tranquillitas in-  
ter ipsos constaret. Ne tamen quispiam putet, falli nos in hoc,  
dum originem *dicto §. 22.* indicavimus, quomodo nimirum *Pu-  
fendorfius* in hanc sententiam, de propositione fundamentali Ju-  
ris Naturæ devenerit, damus ipsius verba *ex Specimine Controv. c. V.  
§. 25.* ubi ad objectionem *Velthemii*, quod nihil tradiderit, de of-  
ficio hominis adversus Deum, & semetipsum, respondet: *Enim  
vero qui librum meum, non solo calumniandi animo inspexit facile de-  
prehendit, mihi præcipue propositum fuisse, officia hominis adver-  
sus se invicem tradere, & quid juris inter homines mutuo exercea-  
tur; cui fini nullum commodius principium adsumi, quam socialitatem  
posse, in aprico est.* Et eam ob rationem caput de Religione Nat. in eo  
libro



libro nusquam extat. Hoc quippe consecrarium est, doctrinae naturalis de Deo, quam alii ad doctrinam primam referunt, alii peculiari disciplina, sub vocabulo Theologiae Naturalis adornant, eoque nativam veluti sedem, in disciplina Juris Naturalis non sortiuntur. Sed cum postea in usum juventutis, officia hominis & civis juxta legem naturalem, in compendium redigenda forent, caput de Religione naturali, ex illa sive Theologia naturali, sive Philosophia prima mutuo sumpsi, & in eum libellum transtuli. Add. Eridis Scandicae pag. 324. 350. §. 16. p. 389. §. 13. Uti & de Jure N. & G. l. 2. c. 3. §. 5. & §. 19. Ubi socialitatem explicat, quod sit principium, genuinum, manifestum, sufficiens & adaequatum cognoscendi jura naturalia, alios homines spectantia.

§. XXIX. 2) Fatetur deinde Pufendorfus l. 1. c. 3. §. 13. de Officio H. & C. ex socialitate, directe tantum & primario, deduci praecipua, quae ad alios homines spectant? indirecte autem, officia hominis erga Deum, officia autem hominis erga seipsum, ex Religione, & socialitate conjunctim promanare. Atqui quae ex principio aliquo, tantum indirecte demonstrantur, requirunt sane adhuc aliud fundamentum, ex quo directe & per se, deduci possint. Quemadmodum, si e. g. Stichum servum meum, ab aliquo corruptum esse directe probo, eundemque tantum habuisse commercium cum solo Titio; indirecte quidem probare videor, servum Stichum, a Titio esse corruptum: sed nihil obstat, quo minus adhuc magis liquido, & directe possim probare v. g. ex confessione Stichi, vel ipsius Titii, vel testium omni exceptione majorum, servum meum per Titium fuisse corruptum. Ergo si indirecte tantum & secundario, ipso Pufendorfo fatente, ex socialitate, officia adversus Deum & semetipsum demonstrare possum, sequitur, dari adhuc principium aliud, ex quo directe & primario, haec officia demonstrantur. Et haec fortassis est ratio, cur in Opere de Jure N. & G. pauca admodum, nimirum duo tantum capita, scilicet 4. & 5. L. II. de Officio hominis adversus semetipsum legantur, cum interim toto volumine, praecipua aliis in societate praestanda, latissime explicentur.

§. XXIX. Quapropter illa tantum officia, secundum Pufendor-  
fium, ex socialitatis principio derivari debent, quae homo homini in  
socialitate praestare tenetur, & hoc quidem fine, ne alterum offen-  
dat,

Ratio secunda  
hujus.

Principium so-  
cialitatis tan-  
tum ad actio-

C

dat,



nes civiles, ad-  
versus alios  
pertinet.

dat, aut probabilem de se opinionem in animo ejus excitet, quod ipsum quacunque ratione lædere velit *Vid. de Officio H. & C. l. 1. c. 3. §. 7.* Ex quo colligitur, noluisse *Pufendorfium*, principium suum Juris Naturalis de socialitate, regulæ loco constituere, ne actionum illarum quidem, quæ forte Deo displicent, sed quæ ab hominibus, quibuscum vivendum est, vel ignorantur, vel tolerari solent. Hinc statuit, Jus naturale, ignorare cœtera omnia, nimirum quod mala sint & illicita, quæ socialitatem non turbant, atque sublimiorem illam notitiam, ad Theologiam moralem pertinere. Ex quo deinceps *Celeberr. Dn. Thomafius* deducit, nec promiscuam Venerem, nec sodomiam, neque incestum, juri naturali repugnare. *In Jurisprudencia divina l. 3. cap. 2.* De cæteris quæ hoc loco dici possent, *Vid. Sectio secunda.*

Cumberlandi  
principium de  
mutua bene-  
volentia.

§. XXX. Inter eos, qui *Hobbesium*, adhibita quadam animi moderatione, refutare aggressi sunt, nominandus est popularis ejus *Richardus Cumberland*, qui si ingenio & acumine, *Hobbesio* fortassis non par fuit, plures tamen ipsius adversarios, refutandi modestia superavit. *In disquisitione philosophica, de Legibus nature cap. I. §. 4.* omnes leges naturales, contineri unico hoc dictamine tradit: *Benevolentia maxima singulorum agentium rationalium, erga omnes, statum constituit singulorum, omniumque benevolentium, quantum fieri ab ipsis potest felicissimum, & ad statum eorum, quem possunt adsequi felicissimum necessario requiritur, ac proinde commune bonum erit suprema lex, & §. 10. l. c.* addit comprehendendi hac lege, *pietatem in Deum, & charitatem in homines*, in quibus, utriusque tabulæ legis divinæ Mosaicæ, & Evangelicæ summa continetur.

Origo hujus  
principii de  
mutua bene-  
volentia.

§. XXXI. Quod *Cumberlandus*, mutuum benevolentiam fundamenti loco, in Juris naturalis disciplina posuerit, causam fuisse adparet, adversarii sui *Hobbesii* Hypothesin, qui ex mutuo metu & statu belli jura naturalia deduxit. Cui ut contradici posset, mutuo metui *Hobbesiano*, & bello omnium in omnes, mutuum benevolentiam, eamque maximam singulorum, opposuit. Hinc toto capite I. dictæ disquisitionis, operose ostendit, quanta utilitas, ex benevolentia hominum in homines dimanet, & quam hæc necessaria sit, ad salutem & felicitatem omnium. Percepit nimirum

Cum.



*Cumberlandus*, hominum animos vehementer irritari, si ipsis malum aliquod intentare velle quispiam minetur, id quod iam Hobbesius latissime ostenderit, contra benevolam voluntatem, excitare benevolentiam, apud homines rationem sequutos, dandam proinde cuique esse operam, ut alteri benevolentiam mutuam ostendat, eundem sibi conciliet, atque sic felicitatem suam, omniumque promoveat.

§. XXXII. Nisi ex dictis constaret, *Cumberlandum* adversam statui belli Hobbesii sententiam propugnare voluisse, putare quispiam jure posset, principium hoc Juris naturalis *de mutua benevolentia*, Theologiae sacris ipsum debere, & desumpsisse inde illud, quoniam ipse theologicis studiis operam impendit. Nam cum in scholis Theologorum, nihil magis commendetur hominibus, quam amor, & benevolae voluntatis studium in omnes, fieri facile potuit, ut commodissimum hoc fundamentum crederet, tum ad demonstrandam juris naturalis disciplinam, tum ad destruendam adversarii sui Hobbesii sententiam. Incidit ergo in hoc principium de mutua benevolentia, quoniam ex Theologorum placitis didicerat, amorem & benevolentiam, optimum & praestantissimum continere subsidium, quo homo ad summam felicitatem adspirare posset. Quod principium, cum pariter ad statum naturalem exegisset, animadvertit, homines naturales, pari ratione mutuae benevolentiae exercitio reddi felices. Hinc hypothesin istam, praeceteris substernendam Juri naturali judicavit, inprimis cum isthanc, Hobbesio directe obstare videret.

Adhuc de Origine principii *Cumberlandi*.

§. XXXIII. Quanquam vero *Pufendorfius J. N. & G.L.H.* De differentia c. 3. §. 15 p. 210. recte putet, principium *Cumberlandi* de mutua benevolentia, suae hypothesi de socialitate minime repugnare; illud tamen fatendum est, mutuam benevolentiam, multo esse nobiliorem quam socialitatem. Qui enim mutuam benevolentiam exercet, semper etiam socialitatem conservare studet. Sed contra, qui socialitatem conservare studet, non statim ex mutuo benevolentiae studio illud facit. Plerumque enim socialitatem homines convellere refugiunt, quia aliquid ad ipsorum perniciem ex ejus ruina sibi metuunt. Adeoque non tam mutuae benevolentiae causa, socialitatem custodiunt, quam ex metu, ne socialita-

De differentia principii *Cumberlandi*, a *Pufendorffii* socialitate.



tis violatio, ipsis perniciofa fit. Mutua igitur benevolentia *Cumberlandi*, differt a *Pufendorfi* socialitate, tanquam latius ab angustiori. Mutua enim benevolentia, tanquam latius, sub fe comprehendit socialitatem; sed socialitas, tanquam angustius, non statim in fe complectitur mutuam benevolentiam. Uti ex *seçãone secunda* uberius patebit. Hinc *Cumberlandi* mutua benevolentia, propius ad Christianam disciplinam accedit, quam *Pufendorfi* socialitas. Quoniam mutua benevolentia, sine interna animi propensione, quam Christianismus semper efflagitat, exerceri, nequit. Socialitas autem, opere tantum externo, nec explicatis quandoque omnibus omnino socialitatis causis, iniri & constare potest.

Principia *Pufendorfi*, *Cumberlandi*, *Hobbesii*, *Grotii*, & *Dn. Cocceji* sibi non repugnant.

§. XXXIV. Recte vero & pererudite *Consultissimus Dn. Coccejus*, in *Tr. Juris gentium*, de principio *Juris naturalis unico, vero, & adequato* *Quest. II. §. 2.* judicat nec *Cumberlandum*, nec *Hobbesium*, nec *Grotium*, imo addo nec *Pufendorfium*, nec *Dn. Coccejum*, adversis frontibus incedere, aut sibi repugnare. Omnes enim salvam socialitatem esse volunt, & argumentis propugnant. Sed diversis rationibus & causis, ad colendam socialitatem adducuntur. *Cumberlandus* socialitatem colendam dicit, propter mutuam benevolentiam; *Hobbesius* propter mutuam metum; *Grotius* propter rectæ rationis dictamen, & cum ea convenientiam; *Pufendorfius* propter naturæ humanæ indolem, & tenerrimum amorem eidem inditum, quo se quisque prosequitur; *Dn. Coccejus* propter voluntatem Dei. Sed de hoc, *Seçãone secunda* explicatius tractabimus *Vid. §. 40. 41.*

Origo Principii *Dn. Cocceji* de sola voluntate Dei.

§. XXXV. *Illustris Henricus*, & quem sequitur *Consultissimus Samuel Coccejus filius*, solam voluntatem Dei, & jussum Creatoris agnoscit, pro principio unico, vero & adequato *Juris Naturalis*. Nimirum pro acumine ingenii sui, & meditandi rectitudine, animadvertit, hominem in conscientia sua, satis sibi fidere non posse, neque certum esse, an actionum suarum ratio, Deo adprobetur, licet secundum *Hobbesium*, cesserit juri sui in omnia, licet socialitatem non offenderit secundum *Pufendorfium*, licet denique secundum *Cumberlandum*, mutuam benevolentiam, quandatenus exercuerit. Neque ex hisce principiis constare, an actionum

ctionum



ctionum suarum naturalium rectitudo, summo judici, qui Deus est, placeat, (quod *per §. 10.* scire necessum est) licet forte huic aut illi homini, aut huic aut illi societati, actiones suæ mirifice commendentur. Hæc certe ratio & fons nobis videtur, cur illustris Vir, omnium hypothefibus diffidens, recte & sapienter de novo juris naturalis principio, eoque unico, vero, & adæquato, disquirere cum fructu instituerit.

§. XXXVI. Postquam ergo, tanquam principia minus sufficientia, homini erudito, & imprimis conscientiæ suæ curam habenti, rejecta esset, juris celsio *Hobbefii*, socialitas *Pufendorffii*, *Cumberlandi* mutua benevolentia, & reliquorum Juris Naturalis Doctorum variæ hypothefes, restabat, ut aliud, & melius fundamentum traderetur. Facilius enim & Mediocris ingenii est, defectus aliorum ostendere, quam meliora & perfectiora tradere. Sed post tot eruditorum disquisitiones, nihil propemodum restabat, quod principii loco, ex quo omnis actionum humanarum justitia deduceretur, adsumi posset, quam *sola Dei voluntas*, quæ unica, de actionum nostrarum justitia vel injustitia, honestate aut turpitudine, licentia aut prohibitione, statuendi & pronuncian- di jus habet. Nam cum homo seria, & profunda meditatione, semetipsum, actionumque suarum indolem, honestatem aut turpitudinem contemplatur, ac apud se solus habitat, videt se remotum esse a metu *Hobbefii*, a socialitate *Pufendorffii*, a *Cumberlandi* mutua aliorum benevolentia, neque tamen sibi soli, & ab his remoto, in conscientia licet, omnes actiones, quas ipse voluerit, exercere, sed aliquas cum animi tranquillitate potest peragere, ab aliquibus peragendis cogitatione absterretur, per aliquod nescio quid in animo. Cùm vero hæc suspendendi actus suos injuncta animo necessitas, nec proveniat, a mutuo metu, nec a socialitate, nec a benevolentia aliorum (ab his enim omnibus, cogitando, & forte in solitudine constitutus, remotus est). E. restat adhuc aliud principium, ex quo actiones suæ dijudicentur. Omnibus autem rejectis, nihil superest, quam Deus ejusque voluntas. Hæc est origo, principii Juris naturalis, de jussu creatoris & sola Dei voluntate.

§. XXXVII. Quod Juris Naturalis principium, ut nobilitate & sublimi origine (cætera enim magis obvia sunt, & prope sensu) *Difficultas circa hoc principium.*



su communi cognoscuntur) reliqua omnia superat, ita in adplicatione speciali ad actiones hominum, sua non destituitur difficultate. Quoties enim casus dubius in vita incidit, de cuius honestate aut turpitudine pronuntiandum est, non id quæri solet, *an sola Dei voluntas* statuere potuerit, hoc vel illud divina lege concessum aut vetitum, honestum aut turpe esse dicendum. Quod nos §. 12. diximus principium Juris naturalis *essendi*. Sed id semper quæri solet, an sola Dei voluntas, hanc actionem, de qua disquiritur, v. g. necem Principis cæsi, a subdito, cui per vim injustam fata properare minabatur &c. certo & sine exceptione, voluerit honestam aut turpem, licitam aut illicitam esse, atque unde liquido *cognoscatur*, (*vid. §. 13. 14.*) hanc esse voluntatem Dei, in hoc casu speciali & dubio. Hic profecto in casu singulari adparebit, principium hoc de sola Dei voluntate, esse nimis remotum & incertum, ad ingenerandam cognitionem claram, nisi ipsi aliud quoddam principium specialius adjungatur & substituatur. *Add. §. 4. 5. 6. sup.* Sed tantum de originibus variorum principiorum in Jure Naturali, pergimus ad secundum, ubi disquiritur quodnam principium alteri sit præferendum.

## SECTIO II.

### IN QUONAM ET QUATENUS, UNUM SUPERIORUM PRINCIPIORUM ALTERI PRÆSTET, DE QUE HORUM USU & DEFECTU IN SPECIE.

Adducta principia sunt diversa, sed sibi non contraria.

§. XXXIIX. Postquam in superioribus, origo variorum Juris naturalis principiorum a nobis explicata est, & causæ indicatæ, quæ Doctores, ad hoc vel illud principium præ alio amplectendum adduxerint, haud erit difficile perspicere, quodnam ex his præ altero, & in quonam alteri sit præferendum. Quemadmodum vero alio loco, a *Dn. Preside* ostensum est, Veterum & recentiorum Philosophorum, *Socratis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Lætantii, Cartesii* sententias, de Virtute & summo Bono, etsi a se invicem diversæ sint, non tamen sibi repugnare, imo potius sibi invicem



vicem subordinari, unamque altera, meliorem perfectioremque esse: ita etiam putamus, diversa hæc in Jure Naturali Doctorum principia, a se quidem distingui, sed sibi nequaquam contradicere, illud tamen inter hæc discriminis intercedere, quod unum principium, præ altero nobilius, sublimius, & profundiori meditatione propositum sit. (*conf. sup. §. 16.*)

§. XXXIX. Ne gratis & sine fundamento hæc dicantur, probabimus 1) quod principia Sectione I. adducta, sibi subordinentur *vid. §. 40. 41.* 2) quod unum præ altero sit profundius meditatatum, & in theoria, dignitate præstet, licet non statim in praxi, sit utilius *vid. §. 42. 43. 44.* 3) denique indicabimus præstantiam cujus libet principii, & quid in ipsis desiderari adhuc possit. *vid. §. 45. seqq.*

§. XL. (1) Præmittimus axiomatis loco pronunciatum, quod quisque facile concedet: *In veritatum consecutione, illæ veritates sibi subordinantur, ubi una veritas alteram sub se comprehendit, atque ab altera deducitur.* Quo admisso, uti certe negari nequit, facili negotio ostenditur, hypothesein *Dn. Cocceji, Cumberlandi, Pufendorffii, & Hobbesii* sibi invicem subordinari. Quod sic demonstramus: Statuit *Dn. Coccejus* pro primo Juris Naturalis principio: *Dei aut creatoris jus sui est obediendum.* Ex hoc principio sequitur *Cumberlandi* hypothesis: *Ergo Mutua benevolentia adversus omnes est exercenda.* Ratio enim hujus est, principium *Dn. Cocceji*: Quia hoc jussum est creatoris. Ex hoc principio *Cumberlandi* sequitur hypothesis *Pufendorffii*: *Ergo socialitas est colenda.* Ratio enim hujus est, principium *Cumberlandi*. Quia socialitatis cultus, facit ad benevolentiam promovendam, & qui socialitatem turbat, nullam ostendit mutuam benevolentiam, quod non est faciendum, per hypothesein *Cumberlandi*. Ex *Pufendorffii* hypothesisi de socialitate, sequitur hypothesis *Hobbesii*; *Ergo juri suo & cupiditati in omnia, cedendum est, ut pax obtineatur.* Ratio enim hujus est hypothesis *Pufendorffii*, quia alias socialitas turbatur, quæ tamen colenda est, ex Principio *Pufendorffii*. Hæc principia Doctorum sibi subordinari, brevius & veluti in catena sic ostenditur. Dei voluntati soli est obediendum, per hypothesein *Dn. Cocceji*; qui voluntati Dei obedit, is mutuam benevolentiam

Tria proponuntur deinceps probanda.

(1.) Probatur, quod diversa J. N. Principia, sibi subordinantur.

am



am exercet, quæ est hypothesis *Cumberlandi*; qui mutuam benevolentiam exercet, is colit socialitatem, quæ est hypothesis *Pufendorffii*; qui socialitatem colit, is cedit cupiditati suæ in omnia, ex qua bellum oritur, ut pax obtineatur quæ est hypothesis *Hobbesii*. Patet igitur quod hæc principia sint quidem diversa, sed tamen sibi subordinentur.

Male sibi invicem opponuntur.

§. XLI. Mirum proinde est, cur alter alterius hypotheses, destruere, aut accusare laboret, cum ex præcedente §. 40. satis constet, sententias has, si recte intelligantur, non tam sibi invicem repugnare, quam subordinatas esse. Unam saltem altera dignitate, & concipiendi rectitudine præstantiorem esse, licet omnes certo respectu, utilitate sua non careant. Quod autem unum principium aut hypothesis alteri, ratione conceptuum, & dignitate præferenda sit, nunc demonstramus.

(2) Probatur quod unum principium, altius adscendat præ altero.

§. XLII. (2) Præmittemus iterum axioma: *Quicquid nos ad primam originem deducit, & proinde ex quo cætera deducuntur, illud præstat illi, quod exinde descendit & deducitur.* Jam cognitu facile est, in conceptu rationis & theoria, dignitate præstare Dn. Cocceji principium J. N. de jussu Creatoris, sive de sola voluntate Dei. Ex hoc enim, prona consecutione deducuntur reliqua principia *Cumberlandi*, *Pufendorffii*, & *Hobbesii*, vid. §. 40. Nam propter jussum Creatoris, sive ob solam voluntatem Dei, exercenda est mutua benevolentia, quam propugnat *Cumberlandus*; & socialitas est custodienda, quam urget *Pufendorffius*; & juri, sive cupiditati suæ renunciandum est, ut pax obtineatur, quod demonstrat *Hobbesius*. Quod si theoretice rem contempleris, *Cumberlandi* hypothesis, altius adscendit, quam *Pufendorffii*. Quia plus est mutuam benevolentiam exercere, quam socialitatem custodire. Qui enim mutuam benevolentiam exercet adversus omnes, semper socialitatis curam habet, sed contra non semper, qui socialitatem non turbat, illud facit ex mutua benevolentia, quoniam vel metus, vel solius commodi privati gratia, illud facere potest. v. §. 33. Hinc §. 32. supra diximus, *Cumberlandi* principium, proxime ad Christianismi sacra accedere, quippe cui charitas & amor suprema lex est. *Cumberlandum* proxime sequi debet dignitate, *Pufendorffii* hypothesis, quæ post charitatem Christianam, socialitatem custodiendam,



diendam, neminemque lædendum adfirmat. Quod principium, tanto majori præ aliis, in pretio habendum est, quod facile ejusdem usus & necessitas, in vita ostendi possit, etiam iis, qui mediocri judicio naturali pollent. *Conf. §. 23. sup.* Ultimum locum, in hypothesium theoretica consideratione, meretur *Hobbessii* sententia, de mutuo metu, Statu belli, & demonstrata inde juris sui cessione, ut pax obtineatur. Nam non tam profunda meditatione, quam ex obviis hominum ferocium moribus desumpta est, & usum atque firmitatem suam in eo probat, ubi cum ejusmodi hominibus, res nobis fuerit.

§. XLIII. Ostendimus §. 42. *precedente*, quomodo una hypothesis, alteri in theoria, & ratione conceptum, dignitate præstet. Non tamen inde licet concludere, quod hypothesis, quæ primum locum *in contemplatione* obtinet, statim prima in *praxi*, & ratione utilitatis in vita humana, dici mereatur. Imo vero plerumque, ob subjectorum quibuscum agendum est, rudem & inhabilem animi habitum, illæ scientiæ & demonstrationes, quæ profundissimæ & acutissimæ sunt, a paucissimis intelliguntur, ac proinde ad instruendos alios, minorem habent usum in vita, quam populares rationes. Quilibet enim, secundum ingenii & capacitatis suæ modum, de hypothesis, quam facile capere potest, judicium ferre, & deinceps actiones suas, secundum istud judicium practicum sibi formatum, componere solet. Hinc fit, ut principia prima & subtilia, quia nimis remota, & plurimis intellectu difficilia sunt, parum in praxi præstent utilitatis, nisi apud paucos & plane eruditos. Neque vero sequitur, hæc hypothesis, ordine naturæ & dignitate, prima & abstrahendo universalis est, Ergo eam præstat utilitatem, ut omnes inde demonstrationes, quæ omnibus satisfaciunt, confici omnibusque clare exinde proponi possint. Accidit ut plurimum principiiis universalibus, quod in Republica solet, ubi Princeps dignitate & eminentia omnium primus est, quoniam tamen idem per se, ad artem calceaream exercendam inhabilis est, hominibus nudis pedibus foret incedendum, nisi sutores adessent, qui calceos pararent. Sic in vitæ praxi, principia particularia & vulgata, quoniam proxima sunt, & ad intelligentiam, & statum rudiorum accommodata, omnium utilissima,

D

lissima,

Principium in  
theoria uni-  
versalisimum,  
non statim in  
praxi est præ-  
stantissimum

(2) Principium in  
theoria uni-  
versalisimum,  
non statim in  
praxi est præ-  
stantissimum



lissima, & efficacissima deprehenduntur, licet econtrario in theoria, principia prima & universalia, primum locum tueantur.

Ad diversam  
hominum sta-  
tum, diversa  
accommodan-  
da sunt princi-  
pia.

§. XLIV. Notandum proinde, homines quibuscum in vitæ praxi negotium est, vel duci (I) cupiditate sua prava naturali, & ingenii asperitate, perfidia, atque ferocia. Ad horum statum & indolem, maxime attemperata est, hypothesis *Hobbesii* de mutuo metu, bello omnium in omnes, cessione juris sui &c. Vel utuntur (II) iudicio quodam rationis naturali practico. Ad horum statum & genium accommodata est *Pufendorffii* hypothesis, de custodienda socialitate. Vel (III) mitiori sunt animo, & proxime ad Christianismi naturam accedunt, & his jure commendatur, & satisfacet hypothesis *Cumberlandi*, de mutua benevolentia. Vel denique (IV) Ratione summa & perspicacissima utuntur, qua instar angelorum, statim intelligere possunt, quid divinæ sint voluntatis, & his fortassis arridebit *Dn. Cocceji* hypothesis, de jussu Creatoris, aut sola Dei voluntate. *Conf. supra §. 36. & 37.* Videamus jam de singulis in specie,

(3) Præstantia  
principii Hob-  
besiani de  
mutuo metu.

§. XLV. (3.) *Hobbesii* hypothesis, ejusque recta cognitio, de mutuo metu, de bello omnium in omnes, de cessione Juris sui, & refrænanda cupiditate, ad possidendas res omnes; insignem præstat utilitatem illi, cui cum hominibus ferocibus, instabilis & perfidi ingenii, & qui suis cupiditatibus solum explendis inhiant, vivendum est. Exinde enim quisque cognoscit, & promte demonstrare potest, ejusmodi hominibus, in statu naturæ, non multum esse fidendum, sed vi obsistendum, adeoque maxime circumspicere oportet, an aliquis potentia, istorum potentiæ superior sit. Quod nisi fuerit, frustra ab ipsis justitiam, fidem, æquitatem, aut jura sibi debita expectabit. Frustra enim ipsis occinet aliquis, voluntatem Dei, frustra prædicabit mutuam benevolentiam, frustra socialitatis custodiam. Hæc enim omnia, feri homines, impune aspernantur, nisi ipsis potentia obsisti possit. Nulla enim hypothesi aut principio convincuntur, quam illa, quod metuentus sit potentior, qui ipsis malum præsens possit infligere. Atque si ipsis hoc argumentum, a metu desumptum, opere ipso statim ostendatur, cupiditates suas in omnia refrænare coguntur, & obtinebitur ab ipsis, quod nobis debetur,

§. XLVI.



§. XLVI. Hac hypothesi *Hobbefiana*, hodie se muniunt eam- que exercent, omnes Imperantes, tum qui in statu naturali vivunt, tum qui in civitate aliis sunt superiores. Reges enim & principes, etiam in pace de bello cogitant, & quia nunquam non vicinis diffidunt, perpetuum alunt militem, ut ipsos potentia & virium terrore, a cupiditate audendi quidpiam contra ipsos, retrahant. Utpote qui probe intelligunt, in casum hic contra ipsos, socialitatem quam fastidiunt, mutua benevolentiam quam rident, Dei voluntatem, quam in statu naturæ plerumque ignorant, in sui defensionem allegari. Consulatur experientia, & imprimis negotia Gallica. Tum quoque historia Caroli I. Regis Angliæ, quæ *Hobbefium*, in hanc hypothesin, de statu belli &c. potissimum induxit. Idem hodie Jure faciunt, & prudenter quidem, Rectores Civitatum, scientes quod plebis imperitæ & tumultuantis animi, nec voluntatis divinæ, & mutua benevolentia commendatione per Præcones sacros, nec socialitatis demonstratione per Doctores facta, compescantur, quare præsidio militari civitatem sibi reddunt obnoxiam, atque sic jura sua, metu justæ potentia, a civibus obtinent. Hic præcipuus, & ab *Hobbefio* etiam intentus, hypotheseos suæ usus est, quæ præ cæteris, hanc ob rationem, imperitæ plebi & multitudini inconstanti Imperantibus commendatur, propter præstantiam, quam satis luculenter hisce in casibus ipsis præstat (*vid. §. 44. n. 1.*)

§. XLVII. Fallitur autem, & *Hobbefii* intentionem (*vid. §. 18. 19.*) non adsequitur, qui existimat, ex hac ejus hypothesi, posse omnes juris naturalis casus speciales decidi. Ut multa alia, quæ hic dici possent, brevitatis studio omittamus, quis unquam existimet, *Hobbefium* de casibus specialibus v. g. an foemina vim a stupratore passa, fertum concedi debeat, in signum virginitatis suæ? an thesaurus in loco religioso fortuitus inventus, totus inventori cedat, de quibus similibus decidendis, cogitasse. Pauca, & generalia tantum juris naturalis præcepta sunt, quæ ex hac hypothesi determinari possunt, & quæ forte sola *Hobbefius*, pro instituti sui ratione decidere voluit. Hinc recte faciunt, qui *Hobbefii* hypothesin, in iis valere patiuntur, in quibus jure valere potest, nec ultra hæc eam extendunt. Præstat ergo præ cæteris, apud ho-

Exercetur ab  
Imperantibus  
& Magistratu.

Defectus prin-  
cipii *Hobbefi-*  
ani.



mines cupiditatibus suis indulgentes, eosque luculenter, ac proprio malo, & vel conscientiae vel experientiae sensu, erroris convincit, quando cupiditatibus suis temere obsequuntur.

Præstantia  
principii Pu-  
fendorfiani de  
socialitate.

§. XLVIII. *Pufendorfi* hypothesis de socialitate colenda, præstantioris est usus præ cæteris, apud eos, qui rationis judicio pratico ducuntur, & qui placidiori animo præ hominibus ferocibus, rationes audiunt (*vid. §. 44. n. II.*) atque philosophari quodammodo incipiunt. Nec immerito apud plurimos applausum invenit, quia perspicua & cognitu facilis est. (*vid. §. 23. sup.*) Mediocri enim judicio, & usu rerum instructus, facile exinde perspiciet, quomodo adversus alios, se quisque in societate gerere debeat. Quod præcipuum *Pufendorfi* erat institutum, uti ex §. 22. videre est. Præstat autem hæc hypothesis *Hobbessianæ*, utpote quæ non tam ex sola potentia, quam ex consideratione intimiori humanæ naturæ, quid justum sit in societate, pronuntiat. Et pro objecto suarum demonstrationum, habet homines rationem agnoscentes, uti *Hobbessi* principium de statu belli, maxime homines ad affectibus agitados. *Cumberlandi* autem hypothesis, præferenda est socialitatis hypothesis, quia in statu naturali, magis dubium est, ubi & quomodo mutua benevolentia sit exercenda, quam ubi & quomodo socialitas colenda. Obscurum enim plurimis videbitur, quomodo in praxi mutuam benevolentiam exhibere illis teneantur, qui ipsis nullo beneficio, imo fortassis metus suspicione sunt cogniti. Et homines naturales satis habent, si ipsis tantum justitia præstetur, quam ne quidem obtinere semper possunt, de mutua autem benevolentia, non adeo solliciti esse jubentur, utpote quæ ex amore proficiscitur. Justitiæ autem ratio, planius perspicitur ex socialitatis jure, quam mutua benevolentia, cujus natura & indoles, hominibus naturalibus, ut plurimum incognita est. Ergo majorem habet usum in vita, civili, socialitatis quam mutua benevolentia principium licet posterius, in theoria prius dignitate antecedit. (*vid. §. 42. 43.*)

Defectus huius  
principii.

§. XLIX. Recte vero illi existimant, qui socialitatis principium, pro unico, & adæquate vero, non admittunt, in decidendis omnibus omnino hominis actionibus adversus se, Deum, bestias &c. (*vid. §. 27. supra*) & dicenda de his ipsis justitia. Nam neque



que *Pufendorfius* ipse, eo extendere illud voluisse videtur, (v. §. 27.) qui diserte fatetur l. c. sibi præcipue propositum fuisse, officia adversus se invicem tradere, & quid juris inter homines mutuo exerceatur. Imo si verum fateri libet, hoc principium socialitatis, in tantum quidem hominem, qui illud observat, tutum præstabit in conscientia, ut recte dicere atque lætari possit, quod nemo hominum in societate civili, justas de se conquerendi rationes habeat, & quod dictamini divino, in hoc passu obsecutus fuerit; interim tamen principium hoc minime efficiet, ut homo in conscientia securus esse possit, actiones suas reliquas, quæ ad socialitatem non attinent, nec eam turbant, uti delicta dam patrata, & similia, quæ Apostolus *Eph. V, 12.* turpia esse dictu putat, imo actiones aliquas, quæ socialitati gratæ sunt, Deo etiam adprobari. Certe *Pufendorfi* hypothesis tantum edocet, quomodo inter homines se gerere conveniat, ne ipsorum in nos odia excitemus, & quid circa hoc justum sit, id quod DEUS etiam in rebus licitis & indifferentibus cuique injungit, ad altiora se directe non porrigit.

§. L. Male autem socialitatis principium arguitur, quod non **Recte appella-**  
dici debeat, primum, fundamentale, & ultimum, ex eo, quoniam **ri potest ulti-**  
adhuc prius detur, nimirum voluntas Dei. Nam cum socialitas **mum in suo**  
adpellatur, principium primum, & fundamentale, intelligitur **genere.**  
semper principium ultimum *cognoscendi* & demonstrandi, (v. §. 14. *sup.*) quo alteri, veritas alicujus sententiæ liquido adprobatur. Voluntas autem Dei, est principium primum & fundamentale *essendi* (vid. §. 12. *sup.*) seu constituens. Jam principium *essendi* & *cognoscendi*, sibi non opponi, sed inter se nexu cohærere, satis in aprico est; quodlibet vero in *suo genere ultimum* dici posse, nemo facile abnuerit. Certe illi, qui *solam voluntatem DEI*, pro principio Juris Naturalis *unico*, vero, & *adequato* habent, admittunt tamen alia principia, ex quibus voluntas Dei innotescit, uti verbum Dei, motus a Deo creati, actiones creatoris &c. Vid. *Consult. Dn. Cocceji Tr. Juris Gentium quest. 3. §. 9. seqq. ad fin. de quo postea.*

§. LI. Frustra etiam metuitur, si socialitas pro principio **Principium de**  
Juris Naturalis admittatur, quod differentia, quam Imperator *Inst.* **socialitatis uti-**  
§. 1. & 11. de *J. N. G. & Civ.* inter Jus naturale, & jus gentium **litate, non tol-**  
D 3 **posi-**



lit discrimen,  
inter Jus natu-  
rale, & Jus  
Gentium se-  
cundarium  
positivum.

positivum uti vocatur secundarium constituit, tollatur. Quoniam custodia socialitatis per se nihil continet, nisi communem hominum utilitatem. Ex utilitate autem neminem obligari, sed huic renunciari posse videtur, adeoque jus naturæ mutabile fieri, perinde, uti jus gentium secundarium, quod tamen secus est, secundum Justinianæ decreta *dict. §. pen. I. de I. N. G. & C.* Nescio an veræ, nec simulatæ Philosophiæ, cujus cultores, Juri auctore *Ulpiano l. 1. ff. §. 1. de J. & J.* se profitentur, magnopere interfit, ut omnes juris antiqui sententiæ & divisiones, sanctæ custodiantur. *Corasius* equidem jam suo tempore in *Miscell. Jur. Civ. l. 6. c. 25. p. 551.* postquam explicatæ Veterum Juris, de variis juris divisionibus tradidisset, de eis pronunciat: *Et hæc sunt, quæ circa juris naturalis, & gentium distinctionem commenti fuere. Quorum traditionibus, ubi populariter crasse, magistraliterque ut dicunt agendum est, uti non valde reformido. At ubi civilium rerum explicatio, limata, politeque ab ipsa veritate repetenda, eas omnes naturales gentiumque juris divisiones, damno, Plutonisque familia dignas judico. Verius nimirum judicans, unicum esse jus naturale, unicumque jus gentium.* Hinc *Pufendorfus L. II. c. 3. §. 23. de J. N. & G.* longius progressus, non adeo magnifice sensit, de distinctione inter jus naturale sive gentium primævum, vel uti *Ulpianum l. 1. ff. de A. R. D.* loqui putant *Antiquum*, & jus gentium secundarium positivum. Quam differentiam, parum abfuit, quin idem ab *Hobbesio* edoctus, loco adducto penitus negaret. Sed non liberaliores erimus *Pufendorfio*. Concedimus enim distinctionem, inter jus naturale, & jus positivum gentium secundarium. Sed hanc differentiam, fundamentum agnoscere, in ipsa utilitate, ostendemus a prima origine.

Fundamentum  
& discrimen  
Juris Natura-  
lis & Juris  
Gentium posi-  
tivi, ex utilita-  
te ostenditur

§. LII. Homines, quibusdam rebus summopere indigent ad corporis & animæ conservationem, atque hisce plane carere nequeunt. Quænam illa sint, alio loco a *Dn. Præside* explicatum est. (a) Hinc *Cicerol. Offic. & 4. de Fin.* inquit, *natura tributum est, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ ei nocitura videntur, quæque ad vivendum sunt necessaria inquirat & paret, uti pastum, latibula & alia ejusdem generis. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut salva sit, & in suo genere conservetur.* Hæc utilitas



tilitas, quoniam ad naturæ incolumitatem, adeo necessario perti-  
nent, ut sine ea, nullo modo vivere & felix esse queat homo, uti  
sine corporis sanitate, summe necessario victu, vestitu &c. recte  
ab Imperatore *Pr. Institut. de Jur. Nat. G. & Civ. § l. 3.*  
*ff. de J. & J.* appellatur Jus Naturale, quod non hominem tan-  
tum, sed & animalia omnia, natura docuit. Et non incommo-  
de *Jus gentium primævum* ab aliis dicitur. Namque hæc *utilitas*  
ea possidendi, sine quibus vita salva esse ullo modo nequit, cum  
ipso homine, ex prima naturæ necessitate, constantè & immu-  
tabiliter appetitur. Intereundum enim esset homini, nisi illud  
faciat v. g. cibum non adpetat, vestimentis necessariis se ab inju-  
ria aeris defendat &c.

Sed præter *utilitatem* istam, ad naturæ conservationem *sum-  
mopere necessariam*, & qua carere non potest natura sine præ-  
sentissimo suo interitu; datur adhuc *utilitas* in vita, quæ ad *an-  
gmentum, decus & splendorem* rerum necessariarum facit, qua non  
absolute quidem natura indiget, sed quæ pro ratione certi status  
aut conditionis, homini quodammodo est necessaria, & hæc u-  
tilitas, appellatur ab Imperatore *J. §. 2. d. J. N. G. & Civ. § Ulpiano*  
*ff. §. 4. de Just. & Jure*, Jus Gentium, ab aliis vero *jus gentium se-  
cundarium positivum* v. g. Cibum capere, & necessario vestimento  
indui, est *Juris naturalis*, hac enim utilitate homo carere sine exi-  
tio non potest. Sed cibum lautiozem capere, atque purpura  
uti, & de modo ista sibi comparandi circumspicere, est *Juris*  
*gentium positivi*, quia absolute loquendo, lautitiis his carere ho-  
mo potest, sed pro Statu alicujus, isthæc, personæ alicui v. g. Prin-  
cipi, Magnati &c. sunt necessaria. Hinc de istis, quæ ad jus gen-  
tium positivum secundarium pertinent, ordinare & dispicere so-  
lent homines in societate, uti ipsis commodum visum fuerit, &  
proinde usu isthoc exigente, humanis necessitatibus jura con-  
stituere. Add. *Dn. Hoppius ad Inst. §. 2. d. J. N. G. & C. pag. 34.* ubi  
*Zieglerum & Rachelium* secutus ait, hoc non ita intelligendum est,  
ac si actu ipso convenerint gentes & jus sibi certum constituerint,  
sed quod recta ratione dictitante, propter *utilitatem & necessita-  
tem* humanam, hoc vel illud jus receperint, ac usu comprobarint.

(a) *Differt. de eo quod hominem omni ex parte felicem atque boa-  
tum facit. §. 13. & 25.* §. LIII.



Juris Naturalis & Juris Gentium secundarii, definitiones Philosophicæ.

§. LIII. Ex dictis non difficile est, dare definitionem philosophicam *Juris Naturalis*, quod alii *Jus Gentium primævum* appellant; & *Juris Gentium*, quod positivum secundarium dicitur.

*JUS NATURALE* est, qua homo, ad suam existentiam & conservationem, sibi absolute necessariam utilitatem querit, qua natura, sine presentissimo interitu quo suo, carere non potest v. g. victum, vestitam summe necessarium &c.

*JUS GENTIUM POSITIVUM SECUNDARIUM* est, quo homo ad augmentum, decus, splendorem, & ornatum, utilitatem querit, qua absolute quidem natura carere posset, sed qua homo, pro certi status & conditionis ratione difficulter carere potest, & qua obtenta, feliciter & commodius vivit, uti est cibus lautior, vestimentum splendidius, habitatio commodior, opes &c.

Jus naturale mutari non potest, neque ab ipso Deo.

§. LIV. Ex definitionibus hisce patet, *Jus naturale* esse immutabile; *Jus vero Gentium positivum secundarium*, pro Statu & ratione cujusvis hominis, mutari ex voluntate posse. Ratio est, quia *Jus naturale*, pro fundamento habet utilitatem, sine qua natura humana perstare, quocunque tandem in Statu versetur, salva absolute nequit. Proinde huic suæ utilitati homo renunciare non potest, nisi perire velit, quod temere & sine ratione ipsum velle, stultissimum & absurdum est. Supponimus autem, hominem ratione utentem, qui absurdis decretis locum non concedit. Alias enim homo stultus, etiam voluntati Dei renunciare posset. Et in absurdo hoc staltu suo, potiori fortassis jure, quia Deum, ob rationis suæ absentiam, non sentit; utilitatem presentissimam autem, sibi absolute necessariam, manu veluti tangit & sensibus percipit.

Patet etiam exinde, neque Deum *Jus naturale* mutare posse. Quia non potest velle, ut naturæ humanæ utilitas semel concessa, & ex creationis lege, ipsi absolute necessaria, iterum denegetur, qua tamen deficiente ipsam perire necessum est. Argueret enim in Deo, inconstantiam & insipientiam, qui semel naturæ utilitatem aut bonum concessit, quæ ipsi summopere ad persistendum est necessaria, quam deinceps in deterius mutaret, aut ipsi deneget, & tamen vellet, ut humana natura persisteret incolumis, quod contradictorium est. Quemadmodum igitur Deus ob  
per-



perfectionem, constantiam & sapientiam suam, non potest mutare numerum æqualem in inæqualem, ut quatuor sint tria; ita ob eandem perfectionem, constantiam & sapientiam, non potest iterum velle, ut homo quidem salvus & incolumis existat, nec tamen naturæ utilitatem, sibi ad existendum, necessariam quærat, quam ei semel quærendam injunxit. Hoc velle Deus non potest, nisi majori utilitate, utilitatem minorem, cujus jactura facienda est, compenset, v. g. vulnera aut mortem corporis, tranquillitate aut beatitudine animæ. Et mortem hominis privati, malum meriti, tranquillitate & felicitate publica.

§. LV. *Jus vero Gentium positivum secundarium est mutabile, secundum voluntatem hominis.* Quia Jus gentium quærit utilitatem, quæ absolute ad existendum, naturæ non est necessaria. Quare in hominis libertate positum est, an ad majorem utilitatem, ornatum, decus, & emolumentum velit adspirare, nec ne; & an ad illud vel consequendum, vel retinendum, pro status sui ratione, pacta inire & jura constituere; aut si forte hæc jam constituta sunt, eadem iterum mutare, & sibi propria, in alterum transferre, re sua esse putet.

Jus Gentium positivum secundarium, mutari potest.

§. LVI. Atque si *Carneades*, hoc modo utilitatem explicavit, ut notetur bonum aliquod, quod nobis, ad animæ, corporis, aut fortunarum necessariam possessionem; vel etiam ad horum augmentum, decus, aut splendorem, adjumento est, uti *Dn. Praeses*, illud jam alio loco (a) notavit: certe nihil verius ab eodem dici potuit. Quis enim sanus, jura sibi aut aliis, ad perniciem statueret? Et male sibi consuleret, qui *Carneadem*, secutus in primis auctoritatem *Lactantii*, in *Inst. Div.* minus recte veterum Philosophorum sententias interdum explicantis, eo nomine perperam refutaret, quasi statuisset, jura constitui cœpisse ex utilitate privata, & ex bono quodam, quod ad corpus solum pertinet, licet ratio & bonum animi contradiceret. Quod recte notatur a *Dn. Coccejo* *Traët. juris Gent. Quæst. II. §. 12. p. 21.*

*Carneadis* sententia de utilitate, certo sensu verissima est.

(a) *Meditation. de Eruditionis pretio ejusque mensura §. 17.*

§. LVII. Ostensum itaque est, licet socialitas, quæ propter utilitatem §. 52. 53. explicatam, tanquam fundamentum proximum constituta est & colitur, agnoscat pro principio Juris Naturalis,

Omnia Juris Naturalis principia, uti-

E

turalis,



licitatem agnos-  
cunt.

turalis, haud tamen sequi exinde, nullam amplius superesse differ-  
entiam, inter Jus Naturale, & Jus gentium positivum secunda-  
rium, quod satis perspicuum esse putamus *ex §. 53. 54. 55.* Nimi-  
rum *Jus Naturæ est immutabile per §. 54. Jus gentium secundarium  
mutari potest per §. 55.* Imo etiam illi, qui solam voluntatem  
Dei, pro Juris naturalis principio unico, vero, & adæquato vene-  
rantur, negare nequeunt, quod utilitatis ratio semper ibidem ha-  
beat. Nam uti omnis lex *utilis & possibilis esse debet*, ita Dei  
voluntas, nunquam homini vere perniciosa injungere potest, sed  
potius, quæ Deo gloriosa, homini, vero utilia sunt. Ergo si quis-  
piam quærat, cur soli Dei voluntati obedire teneamur, recte &  
per rationem evidentem respondetur, quia hoc homini semper  
utile est, si non ad aliud, certe ad hoc, ut tranquillitas conscientiæ  
obtinatur, quod sane præcipuum hominis bonum est, & utili-  
tas maxima.

Præstantia  
principii Cum-  
berlandi de  
mutua bene-  
volentia.

§. LVIII. Pergimus ad considerandam *Cumberlandi* hypo-  
thesin, de mutua benevolentia. Hanc præstare *in theoria*, Pufen-  
dorffii principio, de socialitate, diximus §. 42. Ex mutua enim bene-  
volentia, prono alveo, manat cura socialitatis. Unde autem  
aliquid deducitur, illud in theoreticis demonstrationibus, semper  
nobilius origine & dignitate est illo, quod exinde deductum est,  
per *axioma §. 42.* Accedit quod multo plus sit, benevolentiam  
maximam h. e. vere Christianam, adversus omnes exercere, quam  
socialitatem, tantum, quocumque tandem impulsu illud fiat, cu-  
stodire. Amor enim & mutua benevolentia, multo plura præ-  
stat alteri, quam quæ ex justitia, stricto jure debentur. Socialitas  
consistere potest, si simplices tantum justitiæ leges observentur:  
Contra amor, præterquam quod regulis justitiæ exacte satisfacere  
studet, superaddit, ex affectu benevolentia, quæ socialitatis jura stri-  
cte exigere nequeunt. Et hæc est causa, cur *Pufendorffius*, vi hypo-  
theseos suæ de socialitate, statuere coactus fuerit, jus naturæ maxi-  
mam partem, circa externa versari. Cui autem ex mutua bene-  
volentia, actiones suas suscipere cordi est, is tam circa interna, imo  
magis quodammodo circa hæc, quam externa versatur. Hinc  
hypothesis hæc, se iis maxime adprobat, qui ex Christianismi di-  
sciplina, moribus mitioribus, animoque amore pleno imbuuntur.  
His



His enim deductæ inde demonstrationes, facile satisfacient, quæ aliis in statu naturæ constitutis, forte minus evidentes, minusque graves videbuntur.

§. LIX. Sed uti supra (§. 43.) monitum a nobis est, quod in Defectus hucognoscendi principiis, per quæ alii docentur veritatem incogni- jus principii. tam, non statim hypothesis, *in theoria* profunde meditata, maximam semper *in praxi* ostendat utilitatem, utpote quæ non ab omnibus æque recte intelligi potest; sic principium *Cumberlandi*, de mutua benevolentia, licet Christianismo proximum, non tamen in vita tanto cum successu adhiberi potest, quam *Hobbessii* & *Pufendorffii*, nisi apud eos solum, qui sciunt quid sit amare Deum, & benevolentiam, adversus homines exercere. Ratio est, quia quilibet judicium practicum, quod in actionibus suis sequitur, format secundum intellectus sui modulum. Quoniam igitur homines, secundum naturæ statum viventes intelligere possunt, quid sit bellum, & quid socialitas, quæve damna aut commoda inde orientur; quid autem amor & benevolentia Christiana i. e. uti *Cumberland* vocat, maxima sit, intelligere peræque non possunt, hinc ad paucissimos instruendos, hoc principium serviet. Breviter *Cumberlandi* hypothesis *in theoria* antecedentibus præstat; *in praxi* & *vite usu*, his ipsis postponenda est: quia paucissimis, & ferme non nisi vere Christianis; tam clare innotescit, amoris sinceri natura, ut isthoc adquiescere velint aut possint.

§. LX. Restat *Dn. Cocceji* Hypothesis de sola Dei voluntate. Si genus humanum quod naturam sequitur, in eo statu versaretur, ut tam expedite & certo, in casibus singularibus, quæ in vita alicui accidunt, perspicere posset, quid divina circa hanc aut illam actionem, foret voluntas; quam certum est, generatim & uti vocant in universali, quod soli Dei voluntati & jussui creatoris obtemperandum sit: nullum hocce principio perfectius, neque compendiosius, neque simplicius, in jure naturali tradi posset, quod vitæ humanæ esset regula. Manifestum enim est, a sola voluntate divina, pendere omnium actionum humanarum honestatem & turpitudinem, justitiam & injustitiam, (*vid. §. 10. 11. 12.*) Clarum etiam per §. 40. 42. est, ex hac hypothesis pendere firmitatem reliquarum. Simplicissimum etiam, & brevissimum, jure censetur

Præstantia  
principii *Dn.*  
*Cocceji.*



hoc principium : quia propositio, *Deo & Creatori sapientissimo, optimo, & potentissimo, est obediendum*, in nullam aliam, quæ altius ascendit, resolvi potest, & ambitu suo omnia particularia principia, & ductas hinc conclusiones complectitur *Conf. Dn. Cocceji Tr. Juris Gent. Quest. II. §. 27. 28. & part. 2. Sect. I. pag. 7. n. 4.* In *theoretica ergo contemplatione*, ubi generaliter & abstrahendo ut plurimum res considerantur, *prima merito concedenda sunt huic hypothese.*

Defectus hujus principii ostenditur per rationes.

§. LXI. Sunt tamen rationes in contrarium, quæ haud permittunt, ut hypothesis de sola voluntate Dei, in decidendis juris naturalis casibus singularibus, quæ *in usu vite* obveniunt, admitti possit pro principio unico, & adæquate vero. Nam (I) Ex hac hypothese, cognoscitur tantum generaliter, quodnam juris & honestatis naturalis principium *essendi* sit, hoc est, quod Deus, certam normam, actionum humanarum constituerit, secundum quam, de earum honestate aut turpitudine pronuntiari debet. (*Conf. supra §. 37.*) Sed (II) non explicat perspicue & cum certitudine, principium *cognoscendi* voluntatem Dei in hoc vel illo casu (*vid. 13. 14.*) hoc est, quid Dei voluntas velit, & quid injungat homini, ut ab ipso, sic & non aliter, in hac vel illa re obveniente agatur. Uti enim nemo nisi perditissimus negat, Deo parendum esse, ita eo semper in vite praxi omnis redivit controversia, quænam Dei voluntas sit, circa istam actionem particularem, & hic desideratur principium evidens, ex quo omni remota dubitatione, tuto statuere possis, sic & non aliter tibi agendum esse. *Athenienses* & inter hos *Cimon* summus Vir, nunquam negarunt Deo parendum esse, interim tamen incestu se polluebant, in uxorem ducentes sorores germanas. (a) Jam si Cimoni demonstrandum sit, se male agere, quærendum est principium, non an Deo sit obediendum, illud enim non negat; sed an Dei voluntas sit, ut se abstineat a matrimonio sororis &c. Hic inutiliter, ad decidendam litem, allegatur sola Dei voluntas, semper enim quæretur, unde cognoscatur, nostram non vero Cimonis sententiam, voluntati divinæ conformem esse. Hinc (III) Hypothesis de sola Dei voluntate, nimis remota, & ad efficiendam demonstrationem, ex qua homo liquido perspiciat, quid sibi

sibi



fibi hic & nonc. uti Scholastici loquuntur, agendum sit; insufficiens adparet, nisi ipsi aliud principium, *cognoscendi* voluntatem Dei, circa hanc aut illam actionem adjungatur. Atque hoc est, in quo tanto opere laborarunt, atque etiamnum defatigantur Juris Naturalis Doctores, ut nimirum erudito orbi dent, principium *cognoscendi* voluntatem Dei, unicum, verum, & adæquatum, atque illud proximum quidem. Nam si fuerit controversia, an fera ex custodia dilapsa, pertineat ad primum occupantem, an vero ad priorem Dominum cujus custodiam fera evasit. Quod posterius *Grotius* J. B & P. L. II. c. 8. §. 3. & cum eo *Dn. Vitriarius, Henninges, Gronovius, a Felden, Hedingerus, Vander Muelen, Seldenus, Pufendorf, Ill. Culpisius* adfirmant; prius autem tenet *Cajus* l. 2. §. 2. ff. de A. R. D. & *Imperator Inst* §. 12. de R. D. Nihil certe decidi poterit, ex allegatione solius voluntatis divinæ, nam quæretur non abs re, an divinæ voluntati hoc in casu, potius sententia *Grotii*, an vero *Justiniani* respondeat? quod deinceps, ex principio alio proximiori, decidendum restabit. Valde proinde metuo, ne quod in *Tr. juris Gentium Quest. 2. §. 17. & Quest. 3. §. 2. p. 44. n. 11.* Grotio objectum est, quod vix ullam Quæstionem, ex suo principio de socialitatis custodia deciderit, sed ex aliis præcario acceptis rationibus, quasi nullum apud se, principium hujus disciplinæ proprium esset: ita eodem forte jure dicatur, ex hypothese, de sola Dei voluntate unice spectata, nullam quæstionem specialem determinari posse, nisi aliunde principium precarium, illudque proximius substituatur. Hinc (~~W~~) *Dn. Coccejus* coactus est, *Quest. 3.* inquirere in aliud principium, nobis magis cognitum, magisque speciale, ex quo illa voluntas Dei, in Juris Naturalis disciplina probetur. Ubi si unicum, & aliquod adæquate verum, principium *cognoscendi* propositum fuisset, atque quod tam liquidum in omnibus esset, quam in aliquibus casibus, socialitatis hypothesis est, gratulari sibi orbis eruditus merito posset.

(a) *Nepos in Cimon. & Pref. Add. Boecler. not. ad b. l.*

§. LXII. An vero ejusmodi principium *cognoscendi* voluntatem Dei, laudata *quest. 3. Tract. part. 1. Juris Gentium §. 9. p. 47. seqq.* traditum sit, nostrum non est ex instituto disquirere, & de eo quidem, nobis doctiores viderint. Illud tamen, ingenua quæ eruditos

Duo inter alia obstant, principiis cognoscendi voluntatem Dei *Dn. inter Coccejo.*



inter obtinet libertate, profiteri lubet, duas inter alia videri ob-  
stare rationes, quæ impediunt, quo minus sententiam Viri Con-  
sultissimi Clarissimique, penitus amplecti liceat, (I) enim adhibi-  
tis universis illis cognoscendi principiis, ex quibus dignosci de-  
bet, quid Jure naturæ liceat, aut prohibeatur; tamen supersunt a-  
ctiones, quæ secundum *Consult. Dn. Coccejum* jure naturæ non  
sunt permixtæ, neque tamen ex positis ab eo principiis, illas pro-  
hibitæ esse, perspicui potest, v. §. 63. 64. 65. 66. 67. (II) Videtur,  
secundum tradita hæc cognoscendi principia, non satis distingui  
posse, *theologica principia moralia*, a principiis *Juris naturalis*, vid.  
§. 68. 69. 70. Quæ tamen ne confundantur, magnopere refert,  
ut jura Status naturæ & Statu Gratia, ratio & fides, philosophia &  
Theologia, rite a se invicem discernantur. Quorum omnium ac-  
curatior disjudicatio ex hoc discrimine est. Ergo hæc principia *co-*  
*gnoscendi* voluntatem Dei, videntur esse in sufficientia. Sed de u-  
troque argumento, quædam adhuc, sed breviter subjiciemus.

Multa crimina

secundum hæc  
principia, J. N.  
sunt permixta,

§. LXIII. (I) Ostendemus nonnulla crimina secundum  
principia *in tr. juris gentium §. 9. part. 1. quest. 3.* pro licitis habenda  
esse, quæ tamen Vir Consultissimus, Jure naturali tanquam pro-  
hibita damnat. Sumamus in exemplum, crimen foedisimum  
Sodomiam, & quidem illam nefandam commixtionem cum Be-  
stis quam jure naturæ prohibitam pronuntiat *Dn. Coccejus Tr. Jur.*  
*Gent. P. 2. sect. 2. p. 67. n. 16.* Eam vero potius permixtam dicendam  
esse, secundum principia *Part. 1. §. 9. p. 46. seqq.* posita, demon-  
strabimus.

Proponuntur  
principia Dn.  
Cocceji.

§. LXIV. Docet Vir Consultissimus §. 9. pag. 46. seqq. *Part. 1.*  
Omnes actiones humanas, regulariter licitas esse & justas, nisi  
voluntate Creatoris restringantur. Quia Deus naturæ poten-  
tiam, facultatem, ac motum agendi quæcunque lubet, concessit,  
quod frustra esse non possit, nisi doceatur eas facultates restringen-  
das esse. Restrictionem autem factam esse a Creatore, probari. (I)  
*Ex verbis* creatoris, si expresse Deus actionem prohibuerit. Ex-  
cusari autem eos, quibus voluntas Creatoris non revelata est. (II) *Ex*  
*Motibus*, si nimirum quis sentiat motum, qui ipsum ab actione  
deterreat. Eo refertur conscientia. (III) *Ex actionibus Crea-*  
*toris*, quando Creator aliquid facit, ex quo facto constat, eum velle  
hoc



hoc modo actionem fieri. (IV) *Ex fine actionis necessario*, qui enim ad certum finem quid agit, illumque necessarium, cum intentione agit, & necessario vult, ita agi debere, hinc finis in moralibus optima probatio dicitur. (VI) *Ex medii necessitate*, si certum est, aliquid esse juris naturalis, recte concluditur, omne id, sine quo illud obtineri nequit, necessario etiam juris esse. (VI) *Ex natura perfectissimi Creatoris*, vi cuius, & cultum & reverentiam requirit, & præterea nihil frustra creasse intelligitur, quia quicquid agit, perfecte agit.

§. LXV. Hæc sunt Viri Consultissimi argumenta, ex quibus, restrictas actiones nostras humanas, judicandas esse statuit; vel etiam, sine his restrictionibus, eas certo licitas & concessas esse pronunciat. Ubi obiter notamus, non adparere, quomodo accurate & philosophice loquendo, per argumentum numeri III. IV. & V. Creator actionem restringendam velit, cum potius per hæc argumenta, actio permilla dici debeat v. g. affirmative recte colligo: Homo licite capit cibum, per arg. III. *ex actione creatoris*, qui organa homini dedit, & cibum condidit. Per arg IV. & V. *ex fine actionis necessario*, & *medii necessitate* Deus vult hominem vivere, quod sine cibo fieri nequit. Et sic in reliquis. Vix autem adparet, quomodo argumentatio negativa commode institui possit, v. g. furtum non est committendum, per arg. III. *ex actionibus creatoris* &c. Videtur enim tum argumentatio, fieri aliquo modo inconcinna. Verum quia indirecte fortassis, ita colligi potest, & ex adfirmatione, iudicium etiam fieri de negatione solet, in eo non hærebimus, sicut neque in eo, quod argumentum num. VI. plurimis, obscure admodum propositum videri posset.

§. LXVI. Ex argumentis autem, a Clarissimo Consultissimoque Viro propositis, & quæ §. 64. a nobis allata sunt, probari potest, quod per has hypotheses, *Sodomia jure naturali sit licita*. Ponamus, hominem Indum aut gentilem quemcunque, in sylvis aut solitudine, inter bruta animantia solum versari, ponamus, ipsum; acerrimis stimulis venereis (id quod ob cœli ambitum, solis æstum, & incolarum habitum, in terris istis frequentissimum est) vehementer exagitari; neque invenire ullum remedium, explendæ libidinis,

Notantur nonnulla.

Secundum principia § 64. Sodomia J. N. est licita.



bidinis, cum sui sexus simili. Noster certe, ut naturæ incommodis satisfaciatur, se conjunget cum bestiis, motus argumentis, quæ §. 65. ex tr. *Juris Gentium allata leguntur*. Argumentabitur enim, pro nefando hoc actu, sibi licito, ex hypothese §. 9. p. 46. tr. cit. Omnes actiones regulariter justæ & licitæ sunt, nisi restringantur. Quia Deus naturam, potentiam, facultatem, & motum agendi quæcunquæ lubet, (per tr. *Jus Gent. pag. 47. init.*) indidit. Jam sentio instinctum, potentiam, & motum naturalem, ad hanc actionem, quæ jam mihi lubet, perpetrandam. Neque illam creatoris voluntate restrictam perspicere possum. Ergo licite a me exercetur. Restrictam vero naturalem hanc actionem, videre homo ejusmodi nequit (I) *VERBIS EXPRESSIS CREATORIS*. Illa enim Indus ignorat, quia gentilis, & hinc excusandus est. Quod concedit *Dn. Coccejus p. 47. n. 1.* Accedit, quod inter Christianos, haud multos ante annos, proster exemplum, ubi non nemo, nefandæ libidinis cum equa accusatus, & reus in judicio, summopere adseveravit, se penitus ignorasse, hoc tantum crimen prohiberi, alias abs se illud perpetratum non fuisse. Hinc a judicibus pœna ignis, in gladium fuit commutata. De crimine Onanitico, testis est *Brunnem. Jur. Eccl. l. 1. c. 1. §. 24.* quod accusatus aliquando, Deum fuerit obtestatus, se nescivisse hoc inter crimina computari, atque hanc ignorantiam, persæpe, in actis legi allegatam. Proinde hortatur *Brunnemannus l. c.* Pastores, ut de ejusmodi delictis, auditorum ignorantiam, prudenter commoneant.

(II) *EX MOTIBUS non perspicere potest actionem hanc restrictam.* Sentit enim motus vehementissimos, & cupidinem ad hanc actionem. Neque conscientia ipsum in contrarium vellicare potest. Conscientia enim significat, conscire aut percipere istud in se, de quo semel jam ab aliquo, sive interne, sive externe, antea edocti eramus. Hoc an Indo acciderit, ex conscientia nostra, qui illam ex Scriptura S. & Doctoribus nostris hausimus, non possumus peræque adfirmare. Imo contrarium de Indo videtur colligi posse, quia nullam ipse judicare potest inesse actui turpitudinem, quo id tantum agitur, ut naturalem & necessarium instinctum, quoquo modo expleat.

(III) *EX*



(III) *EX ACTIONIBUS CREATORIS non videt restrictam hanc actionem.* Nam Indus actiones Creatoris, præter eas, quas captu naturali in se comprehendit, ignorat. Sentit autem in se, appetitum ad actionem hanc exercendam, quem a Creatore sibi inditum agnoscit, ac proinde licitum putat.

(IV.) *EX FINE ACTIONIS NECESSARIO, concludit, maxime licere sibi hanc actionem.* Quoniam enim aliter explere naturæ necessitatem, hoc in statu, quem in camporum solitudine supponimus, & certe dabilis est, nequit; necessum est, ut finem suum, nimirum desiderium, liberandi se ab eo quod naturam urget, quoquo modo assequatur

(V) *EX MEDII NECESSITATE, pariter pro licita potius, quam restricta actione concludet.* Deus ipsum vult salvum, & ut naturæ incommodis non prematur. Jam alia ratione, hoc incommodo, præsentis in statu, liberari nequit. Ergo medium, quod necessitati naturæ satisfacit, ipsi erit concessum.

(VI) *EX NATURA PERFECTISSIMI CREATORIS, argumentabitur:* quoniam Deus nihil frustra creasse intelligitur; hinc appetitus & instinctus iste, tam vehemens, tam inexpugnabilis, restringendæ hoc modo libidinis, ex naturæ necessitate sponte, imo contra voluntatem sibi obveniens, vitii argui non poterit; adeoque licite & summo jure exercebitur.

§. LXVII. Patet proinde, Indo, aut homini proprium naturæ instinctum secuto, secundum principia § 64. ex Tr. Jur. Gent. a nobis adducta, ostendi non posse, *nefandum coitum, esse Creatoris jussu prohibitum, imo potius dicetur per hæc principia, eum esse voluntate Creatoris licitum.* Quod multo adhuc facilius, de incestu, adulterio, simplici scortatione, & reliquis naturæ delictis, demonstrari posset; nisi unico exemplo, eoque maxime abominando, rem planam fecisse in præsentis, ubi brevitas studium sequimur, sufficeret. Ex quo perspicere licet, media aut axiomata hæc, cognoscendæ voluntatis divinæ, apud omnes non sufficere, adeoque nec unica, nec adæquate vera, sed alia adhuc advocanda esse.

Idem de incestu, adulterio & similibus dici potest.

§. LXVIII. (II) Diximus §. 62. n. II. Tradita a Dn. Coccejo, §. 64. secundum hæc cognoscendæ voluntatis divinæ subsidia, ideo plurimis dubitationi-

F

tioni-



la relinquatur  
differentia, in-  
ter Theologi-  
am Moralem,  
& Jus Naturæ.

tionibus obnoxia videri, quod secundum hæc, nulla differentia re-  
linquatur *inter Theologiam moralem*, ad quam jus divinum mora-  
le pertinet, & *Jus naturale*. Nam si quæras ex Viro Consultis.  
unde voluntas divina, in Jure Naturale innotescat? Respondet, pe-  
rinde esse, sive id fiat ex ratione, sive ex revelatione. *Negat e-  
nim Jus naturæ, ita ex sola ratione fluere, ut non magis quoque fluat,  
ex voluntate Dei expresse revelata; cum ratio sæpe dubia sit, & ex fa-  
ctis obscurius voluntas adpareat; sed revelatio certa sit* Part. 1. Vin-  
dic. sect. I. pag. 7. num. 5. Et cum Dn. D. Ludovici dixisset, lumen  
revelationis, non pertinere ad jus naturæ, respondet Dn. Coccejus  
*Vindiciarum sect. II. p. 56. num. 5. Sane nihil interest, quomodocun-  
que de illa voluntate constet, an ex ratione, an ex revelatione. Imo id  
magis jus naturæ erit, quod ex verbis oritur, quia eo certior tum est vo-  
luntas divina.* Parte autem I. p. 3. §. 3. nullam differentiam admit-  
tit, inter *Jus naturæ*, & *Jus divinum morale*. Dissentiens a Lu-  
terbachio, qui aliquam, nimirum accidentalem differentiam ad-  
duxerat, forte secundum receptæ doctrinæ placita; alias enim in  
*Compend. Jur. tit. de J. & J. p. 6.* expresse ait: inter hoc jus (divi-  
num morale) & jus naturale non est *essentialis* differentia.

De differentiâ  
Theologiæ  
moralis, & Ju-  
ris Naturalis  
disquiritur:

§. LXIX. Nolumus equidem in presenti ex professo inquire-  
re; an & quatenus differant *Jus naturale*, & *Jus divinum morale*.  
Cujus rei, accurati termini si designarentur, multis forte lapsibus  
occurri posset. Quæ enim *Pufendorfius Pref. de Officio H. & C.*  
erudite tradit, nondum omnia absolvunt. Illud tantum, alia  
omnia omittentes, hoc loco dicimus, quod negari certe non potest:  
*Jus divinum morale*, multo altius ascendere, quam jus naturæ; ut-  
pote quod per plurimas propositiones tradit, de quo jus naturæ, ne  
fando quidem audivit, imo quæ in Jure naturali, ne proponi qui-  
dem commode poterunt; vel si proponantur, rationi ex qua Jus  
naturæ deducitur, si non absurda, certe obscurissima videbuntur.  
Nisi forte distingere velis, inter Jus divinum morale *naturale*, &  
jus divinum morale *supernaturale*. In *Theologia morali*, quæ jus  
divinum morale ex professo explicat, una ex præcipuis est propo-  
sitionibus: *Christi mors, atque meritum, pio cultu est sanctè habend-  
um; Servator est amandus, ejusque vita, & exemplum imitandum est.*  
vid.



vid. D. Bajerus in *Compend. Theol. moralis*. Hisce similibusque propositionibus per plurimos, an quispiam ex I. N. Doctoribus, locum in jure naturali velit concedere, vehementer dubitamus. Neque etiam eosdem putamus concessuros, ut pro liquidis principiis, quæ per demonstrationes, certitudinem cuique obviam accipiunt, potius in fide revelata, per piam affectionem, (quemadmodum Theologi loquuntur) acquiescere velint, licet ratio propositas propositiones, intellectu naturali non assequatur. Multo enim certioris de sententia est, qui propria meditatione, doctrinæ evidentiam, per demonstrationes cognoscit; quam qui omnem sententiæ alicujus certitudinem, in fidem alterius resolvit: quæ firma & indubitata non est, nisi specialis divina illuminatio, & testimonium Spiritus S. internum accesserit, quod fidem corroboret, atque dubitationem, cui credens interdum est obnoxius, tollat.

§. LXX. Hinc dubio non caret illa assertio: *Nihil interest, quomodocunque de voluntate toti humano generi explicata constet, an ex ratione an ex revelatione. Imo id magis jus Naturæ erit, quod ex verbis oritur, quia certior tunc est voluntas divina Part. II. §. 56. n. 5. Ratio sæpe dubia est, & ex factis obscurius voluntas Dei apparet, sed revelatio certa est Vind. I. pag. 7. n. 5.* Nam (I) Ratio cuique propria est, inde quæ per rationem innotescunt, satis clare proprio judicio intelligi possunt, cur ita agendum sit; sed revelatio non cuivis, contingit, verum uti hodie apud nos revelatio accipitur, nemini amplius ordinariæ fit; sed aliis facta, tanquam res historica, ad nos delata est, adeoque in ipsorum fidem resolvitur ejus certitudo, qui nobis revelationem, sibi a Deo immediate factam, reliquerunt. Hinc nisi lumen fidei accesserit, ex revelatione, certitudinem tantum historicam habemus. v. g. cuique ratione prædico, satis certum est, superiori legitimo esse obtemperandum, *per demonstrationem*: quia voluntatem suam ipsi subiecit, adeoque superior habet imperium perfecte quæsitum. Sed an leges de incestu, ex Lev. XIX. & XX. II. seqq. cuivis homini, ratione sibi relicta utenti, tam sint liquidæ, ut eodem modo perspiciat, cur sic non aliter agendum sit, vix apparet. Agimus enim, secundum hanc Dei voluntatem revelatam, non quia rationem videmus, sed quia in simplici voluntate Dei

Rationes, cur inter revelationem & rationem, sive Theologiam moralem & Jus Naturale, discrimen admittendum sit,



acquiescimus, quæ voluntas Dei non nobis revelata est, sed aliis olim revelata, ad nos tanquam historia, fide dignissima transit. Hanc autem esse ipsius Dei voluntatem revelatam, prius argumentis, quibus scripturæ divinitas in genere probatur, confirmari debet, homini naturali; licet nos Christiani de eo, a prima infantia, & per testimonium Spiritus S. sumus persuasissimi. (II) Homini Christiano, qui luce divina est illustratus, æque quidem, imo magis certa est voluntas divina, quæ per revelationem ex verbo divino innotescit, quam quæ per rationem demonstratur; verum an de homine, in statu naturæ vivente, imo etiam de Christianis, nomine tantum talibus, & qui scripturæ historicam tantum habent notitiam, non autem salvificam, idem dici possit, jure dubitari potest. *Vid. Dn. Coccejus Vindic. Sect. I. p. 37. n. 4. (III.)* Si id magis jus naturæ erit, quod ex verbis Dei oritur, *secundum pag. 56. n. 5. Vind. II.* sequitur universam Theologiam moralem, adeoque doctrinas, de Christi satisfactione, & merito sancte agnoscendo, de sacramentorum pio usu &c. esse magis juris naturalis, quam doctrinas de pactis, promissis &c. Quia Theologia moralis, docens meritum Christi esse sancte habendum, sacramentis legitime utendum &c. ex verbis Dei revelatis oritur; pacta autem & promissa, ex ratione naturali. Hoc tamen nemo facile concesserit. Putamus autem, Virum Consultif. intelligere verba Dei in Scriptura revelata, nobisque tradita. Nam si intelligantur verba Dei, quæ immediate alicui a Deo proponuntur, tum equidem verum est, quod certior quis sit, de voluntate Dei, sibi immediate revelata, quam de voluntate, quæ per rationem demonstratur; sed præterquam, quod hodie a Theologis immediatæ revelationes non admittuntur; ejusmodi homo, si qui daretur, non amplius in statu naturæ, sed in statu supernaturali constitueretur; atque adeo, non tam Juris naturalis Consultus, sed Theologus potius dicendus foret. Et hæc sibi, rerum revelatarum facta divina consuetudo, ad ipsum solum se porrigeret, non ad alios, qui fidem & auctoritatem ejus secuti, tantum credunt & persuasi sunt, ipsum immediate ea, ex revelatione divina accepisse, quæ aliis proponit. Quod alio loco, ex professo a nobis demonstrabitur. (IV) Ex  
eo,



eo, quod voluntas divina revelata, jus naturæ faciat, orta est hypo-  
thesis. de Jure N. Paradisiaco, B. D. Alberti in Compend. Jur. Nat.  
(Nam status paradisiacus primi hominis, ex voluntate Dei reve-  
lata, est & cognoscitur) quod facile prolixius ostendi, posset, si id  
hoc loco ageremus. Ab. D. Alberto tamen, dissentire videtur  
Conf. Dn. Coccejus Tr. 7. Gent. part. 1. Qu. 2. §. 44. p. 41. Sed jam  
ad præcipuum nostrum institutum accedendum est.

### SECTIO III.

#### QUOD ACCURATE LOQUENDO, NULLUM EX SUPERIORIBUS, UNICUM, ET ADÆQUA- TUM JURIS NATURALIS PRINCIPIUM, DICI POSSIT.

§. LXXI. Postquam in Sect. I. & II. satis explicatum est,  
quid causæ cuique fuerit, cur in diversa inciderint Doctores juris  
naturalis principia; commonstratum etiam, in quonam unum, al-  
teri sit præferendum, & quatenus quodlibet deficiat; superest ut  
ostendamus, quod nullum ex adductis principiis, unum & adæ-  
quatum dici mereatur, si accurate & ex usu loquendum sit,  
(vid. §. 7.) licet alias in suo genere & si peculiari significato, vox  
*unicum* & *adæquatum* explicetur, admitti possit hæc locutio (vid.  
§. 50. 7. & 26.) Quod quanquam ex superioribus patere possit,  
contrahemus tamen in compendium, quæ hoc loco dicenda re-  
stant, & rationes nostras, per breviter proponemus.

An principia  
superiora J. N.  
sint unica, &  
adæquate vera.

§. LXXII. HOBBIUS Status belli, in jure naturali, pro principio  
unico, & adæquate vero, agnosci non potest, ex quo scilicet cog-  
noscatur, an omnes actiones humanæ sint licitæ aut illicitæ, honestæ  
aut turpes. Quia (I) Hobbesius ne ipse quidem voluit, ut illud  
principii unici & adæquati, rationem subiret (vid. §. 21.) Cui suf-  
ficiebat invenisse principium, ex quo tumultuantes in patria ci-  
ves, arguere malefacti posset (per §. 18. 21. sup.) illorumque officia  
demonstraret (II) Status belli, se ad illas tantum hominis actiones

Rationes, cur  
principium de  
statu belli &c.  
non sit unicum  
& adæquate  
verum.



extendit, quæ cum altero in societate peraguntur. Unde nihil colligi potest ex eo, de officiis adversus seipsum extra societatem, aut adversus Deum. Imo ne illis quidem, multum prodest hoc principium, qui vel bellum non sunt experti, vel qui mitiorem animum nacti, placide se institui cupiunt per solidas rationes, ex statu tranquilliore desumtas. His non est necesse, belli principium ingeminare, cum meliora & proximiora suppetat.

Laus & valor  
hujus principii

§. LXXIII. Laudem tamen meretur institutum *Hobbesii*, qui turbulentos homines, a nefariis belli molitionibus revocare argumentis conatus est, quæ ipsi, tanquam ex suis hypothesebus depromta, nec ignorare, nec negare poterant. (*vid. §. 18. 19. 20.*) Quare si quis horum respectu, principium suum, unicum, (quia homines feri aliorum vix sunt capaces) & adæquate verum, (quia illud ipsum, ex tumultuantium indole desumptum, ipsorum moribus plene respondet) dicere volet, non impediemus. Uti etiam hoc principio commode possunt, imo coguntur, quibus res est cum feris, turbulentis, & malefidis ingeniis, quorum in Statu naturali, maxima semper copia invenitur. *Add. §. 45. 46. supra.*

Rationes, cur  
principium de  
socialitate, non  
sit unicum, nec  
adæquate ve-  
rum.

§. LXXIV. *PUFENDORFII* principium de *Socialitate*, pro unico, & adæquate vero, ex quo omnium actionum humanarum justitia aut injustitia, honestas aut turpitudine cognoscatur, haberi non potest. Quia (I) ne ipse quidem principii hujus auctor, ex eodem officia adversus Deum & semetipsum directe demonstrare intendit (*per §. 27. 28*) sed incidit in istam hypothesein, consideratione mutuorum officiorum, quæ homo homini in societate præstat. (*per §. 22. 23*) (II) Concedit Pufendorfius, officia adversus Deum & seipsum, indirecte tantum ex socialitate deduci posse, quæ vero indirecte, ex quadam hypothese demonstrantur, requirunt adhuc aliud principium, ex quo *directe* primario, & immediate probentur. (*per §. 28. 29.*) (III) Etiam si homo se approbaverit socialitati, & nihil commiserit, quod eandem turbet, non tamen exinde tuto licet in conscientia concludere, omnes suas actiones reliquas, quas remotis arbitrariis peragit, Deo placere, adeoque principium hoc, omni ex parte conscientie non satisfacit. (*Conf. §. 35. 25. & 49.*) Si dixeris: concedi, juris naturalis disciplinam



nam esse imperfectam, multaque ejus ambitum excedere. Hoc ipso simul conceditur, principium hujus disciplinæ fundamentale, etiam esse imperfectum, & minus adæquatum. Quale enim principium, talis etiam inde ducta est scientia. Hinc non obstat, quo minus melius adhuc, & magis adæquatum, si qua fieri potest, inveniatur.

§. LXXV. Multum tamen orbis eruditus debet Pufendor-  
fio, utpote qui primus inter Germanos, jus naturæ methodo ma-  
thematica, ex certa quadam hypothese demonstrare instituit. In  
quo maxime genio ipsius gratulandum est, quod principii loco  
elegerit hypothese, quæ nulli recte cogitanti facile displicere, aut  
obscuravideri posset. Principium enim de socialitate tale est,  
quod auditores admittit, qui veluti in medio positi, non nimis fe-  
ri sunt, illis enim potius conveniens est principium Hobbesii (vid.  
§. 45. 46.) de statu belli; neque nimium profecere ad Christia-  
nismum, (vid. §. 58.) ad horum enim indolem, magis Cumber-  
landi hypothesis, de mutua benevolentia quadrat. Itaque facil-  
rerum intelligentia, se per plurimos commendavit, & applausu pas-  
sim exceptum fuit. Ad: §. 23. 24. sup.

Laus & valor  
hujus principii

§. LXXVI. CUMBERLANDI principium de mutua be-  
nevolentia Juris naturalis, nec unicum nec adæquatum dici potest,  
Quia (1) se non extendit ad instruenda omnia subjecta (conf. §. 6.  
& 59.) sed tantum ad homines, qui amoris & charitati locum  
concedunt, id quod paucissimi faciunt, Hinc nulla demonstra-  
tio exinde fieri potest, adversus illum, qui ne justitiam quidem  
observat, e. g. si latroni opponas, renunciandum esse, infami huic  
vitæ generi, quia per hoc læditur mutua benevolentia; ridebit ne-  
farius homo Philosophum, quoniam non intelligit, quid mutua  
sit benevolentia, qui ne injustitiam quidem latrocinando se com-  
mittere putat. Et Tyrannus, aut Rex v. g. Tamerlanes aut, Attila,  
viribus fidens, quomodo argumento a benevolentia desumpto, ab  
instituto deterrebitur? Istiusmodi grassatori, opponendum est  
argumentum Hobbesianum, a mutuo metu, i. e. potentior exer-  
citus, quo repellatur, & argumento hoc violento admoneatur, de-  
sistendum sibi esse, ab iniquo proposito. Dices forte: Demon-  
stratur

Rationes, cur  
mutua bene-  
volentia, non  
sit J. N. prin-  
cipium uni-  
cum, nec adæ-  
quate verum.



stratur quidem ex mutua benevolentia, latrocinium & oppres-  
siones, non esse exercendas; verum homines perversi, quæ demon-  
strantur, aut non capiunt, aut secundum demonstrata, vivere no-  
lunt. Respondetur, Philosophandum est in tempore. Si de-  
monstrationes, in theoria optimæ, audientem ad officium obser-  
vandam non compellere possunt, nec tranquillam præstare rem  
publicam; inutiliter sane in praxi proponuntur, adeoque insuffici-  
entes sunt (*vid. §. 5. 6.*) Adsciscendum ergo aliud est principium,  
quod sensus ferit, & ad captum percipientis magis accom-  
modatum est. (*vid. §. 44.*) Imo homines cupiditatibus feris  
dediti, ad argumentum, a benevolentia desumptum, recte percipi-  
endum, ne apti quidem sunt. Hinc si contra illud agunt aut pec-  
cant, ex stultitia, quæ ut plurimum ignorantiam habet comitem,  
peccant. (*Ad §. 59. & 5.*) (II) In Juris naturalis disciplina  
non tam spectatur, quid ex amore & benevolentia, alter alteri  
præstare possit, sed quid ex justitiæ regula, stricto jure præstare de-  
beat. Cum autem ex *benevolentia*, nullum jus perfectum, in statu  
naturæ acquiratur, ut ab altero officium aliquod strictè exigi pos-  
sit; hinc ad demonstrandam justitiam naturalem, & illud quod  
jure perfecto debetur, (id quod jus naturæ maxime intendit,) præ-  
senti in statu, principium hoc inidoneum esse.

Laus & valor  
hujus princi-  
pii.

§. LXXVII. Præclarum tamen in theoretica rerum conside-  
ratione, æstimari debet hoc principium (*vid. §. 58.*) Nam licet ex  
benevolentia, nullum jus perfectum alicui acquiratur in vita hu-  
mana; benevolentia tamen, quod certe mirum est, justitiæ & æ-  
quitatis mater atque origo est. Hinc qui alicui bene vult, eum-  
que amat, sponte & plus quam ab eodem exigi potest, æquitatis  
& justitiæ normam exactè observant. Atque ideo hoc princi-  
pium, ad Christianismi sacra accedit (*conf. §. 32.*) & apud illos,  
qui huic vere dediti sunt, suum pondus & valorem obtinere  
potest.

Rationes, cur  
sola Dei vo-

§. LXXIIX. Consultissimi D.N. COCCETTI principium,  
*de sola Dei voluntate, sive de jussu Creatoris, quo minus pro unico, &*  
adæqua-



adæquato agnosci possit, unde in vita, perfecte & unice cognoscuntur, actiones honestæ aut turpes, impedire videtur (I) Quia sola Dei voluntas, est tantum principium essendi actionum humanarum, & unde hæc, honestatem vel turpitudinem adjunctam habent. Id quod nemo sanus, nisi ex præcipitantiâ negat (*per §. 12.*) Quæstio autem hoc loco est, de principio *cognoscendi* voluntatem Dei, & quomodo innotescat, actionem esse licitam aut prohibitam, honestam aut turpem (*vid. §. 13. 14. & 61. n. 2.*) Quare (II) nisi voluntati Dei aliud *principium cognoscendi* subjungatur, nulla quæstio, ex sola Dei voluntate decidi potest, (*vid. §. 61. n. 3. 4. & §. 37.*) Quæro cur adulterium sit, actus illicitus? Respondetur, quia hæc Dei est voluntas. Nemo heic, qui Jus Naturale tractat, acquiescet, sed instabit: Demonstratur, voluntatem Dei jubere, ut adulterium sit actus illicitus. Jam si nullum aliud in promptu sit principium, quod voluntatem Dei planam faciat; quæstio manebit indecisa; & per consequens, quivis in possessione sententiæ, actus, aut juris sui perseverabit, tanquam in re sibi licita & concessa. (*Conf. §. 66.*) Quia (III) principium de Dei voluntate, nimis remotum est. Omnis autem demonstratio fieri debet per causam proximam. Utique, si demonstrare voluero, Diem esse; male allegatur causa generalis, quia Deus diem esse voluit; sed ex Sphærica, alleganda est causa proxima, nimirum quia sol supra horizontem ascendit &c. Par ratio est, in omnibus demonstrationibus, quæ ex veris, certisque principiis ducuntur.

luntas, non sic  
J. N. princi-  
pium unicam,  
nec adæquate  
verum.

§. LXXIX. Hoc tamen negari nequit, *Consult. Dn. Cocceji* Laus & valor  
Principium, de sola Dei voluntate, originem, & fundamentum hujus principii  
esse ultimum, & si hoc sensu dicere libet, unicum & adæquatum  
omnium reliquarum. (*per §. 42.*) Atq; in theoria, demonstratio a reli-  
quis supra explicatis principiis, ascendit ad hoc ultimum. (*v. §. 43.*)  
Acesione enim Juris nostri, provehimur ad socialitatis custodiam; a  
custodia socialitatis, ad mutuam benevolentiam; a mutua benevo-  
lencia ad voluntatem & jussum summi Creatoris: ultra hujus placi-  
tum sapientissimum, rectæ & a frivola temeritate abhorrenti ra-  
tioni,



tioni, non licet ascendere ulterius; utpote in cujus voluntate, tutius & honorificentius est, quam in Platonis jussu acquiescere.

An melius, & perfectius, idque unicum, verum, & adæquatum J. N. principium inveniri possit, disquiritur.

§. LXXX. Ex iis igitur, quæ a nobis breviter allata sunt, satis patere existimamus, quatenus & in quo, Juris Naturalis Doctorum principia, de Statu belli, & exinde demonstrata cessione juris sui; de socialitate; de mutua benevolentia; denique de sola Dei voluntate & jussu Creatoris: pro unicis, veris, & adæquatis admitti debeant. Quoniam vero, multo promptius faciliusque est, pervidere, quid in aliorum meditationibus desiderari queat, quam perfectiora tradere aut invenire; quæretur fortassis, an melius, perfectiusque, Juris Naturalis principium nobis suppetat? Id quod asseverare velle arrogans, & propemodum, in tot clarissima doctissimorum hominum ingenii monumenta, injurium videri posset. Quare si quæ fortassis cogitationes, in Juris naturalis studio, nobis obvenerunt, quæ luculentius, & ad usum accommodatius principium, in Jur. Nat. scientia promittunt; illæ nondum tantæ nobis videntur, ut inconsulto impetu & præmature, in publicum propelli debeant. Inprimis cum nulla necessitatis ratio adsit, cur usu receptis doctrinis, ad felicitatem & tranquillitatem civilem, amplius uti nolimus. Et quoniam Consultissimus Clarissimusque Coccejus, in hoc studiorum genere, opus aliquod incomparabile, Illustris Dn. Parentis sui, in *Prefat. Tract. Juris Gentium*, Lectori pollicetur, orbis eruditus, merito in hac expectatione acquiescit.

S. D. G.

AT-



# ADDITAMENTA.

## I.

Ciceronis jam tempore, eruditos inter obtinuit, ut conjuncti, cessent amicitia, disjuncti sententia.

## II.

Cur virtus Deo placet? quia est perfectio. Cur perfectio Deo placet? Quia perfecto, omnia sunt obnoxia, ipse nemini. Cur is, cui omnia sunt obnoxia, ipse nemini, Deo placet? Quia hic liberrime potest agere. Cur liberrime agens Deo placet? Quia sine impedimento, sponte optimum potest appetere. Cur optimum sponte appetens, Deo placet? Quia sponte, optimo vult esse similis. Cur optimo, sponte volens esse similis, Deo placet? Quia Deus ipse, est Optimus Maximus; hinc illum, qui sponte vult ipsi esse similis, ut eidem promte obediat, non potest non amare. Ergo Virtute & perfectione gaudens, necessario a Deo amatur. Hoc est fundamentum dicti *Matth. V, 48.*

## III.

Quod in foro Civili jus exigatur, virtus non exigatur; in causa est humana imperfectio, quæ vix illud præstare valet, quod jure debetur.

## IV.

Inter perfectos, etiam illud, quod ex virtute proficiscitur, potest exigi. Quod qui rite exigenti non præstiterit, perfectionis existimationem amittit. Quæ summa ipsi, inter probos & perfectos poena est.

G 2

V.



V.

Hinc a Deo potest efflagitari, quod divinæ naturæ maxime respondet v. g. sapientia, perfectio, virtus &c.

VI.

Etiā ad virtutem obligamur ex necessitate, necessitate naturæ perfectæ. In foro tamen civili, non obligamur ad virtutem ex necessitate, quia non sumus perfecti, & sufficit imperanti, quod in Republica, socialitas non disturbetur horridioribus vitiis.

*et ore prolata*  
Errata quadam typographica, quæ irrepsērunt, benevolus Lector, pro candore & humanitate sua emendabit.



Coll. diss. A. M. mis. 22